

Da 93

# Ankündigungsschrift

zu der

im hiesigen Königl. Gymnasium

den 13. Oct. Vormittags von 9 u. Nachm. von 2 Uhr,  
und den 14. Oct. Nachmittags von 2 Uhr

zu veranstaltenden

## öffentlichen Prüfung und Redeübung

wozu alle hohe Vorgesetzten und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst und ergebenst einladet

*Friedr. Chph. Lud. Ungefug.*

---

Marienwerder,

gedruckt in der Königl. Westpreufs. Kanterschen Hofbuchdruckerei.

1825.



KSIAZHNICA MIEJSKA  
IM. KOPERNIKA  
W TORUNIU

~~KSIAZHNICA MIEJSKA  
IM. KOPERNIKA  
W TORUNIU~~

AB 1697

QUA VIA ET RATIONE

IUVENES

GRAECI AC ROMANI

AD REMPUBLICAM

BENE GERENDAM INSTITUTI FUERINT:

AD INDICANDUM

EXAMEN ET ACTUM ORATORIUM,

IN

GYMNASIO MARIAEINSULANO REGIO

SUB FINEM LECTIONUM PUBLICE INSTITUENDUM,

SCRIPSIT

*C. H. PUDOR*

GYMNASII CONRECTOR.

---

BEROLINI,

IMPENSIS FERD. DUEMLERI.

MDCCCXXV.

FRIDERICI AUGUSTI WOLFFII

PRAECEPTORIS GERMANIAE

MANIBUS PRAECLARIS

**Q**uod de singulis matheseos partibus, earum illustratione disciplinae ambitum magis quam immensa universae illius commentariorum diluvie augeri, magnus praedicavit Kaestnerus, idem ad antiquitatis quoque scientiam accommodari posse videtur. Quare diligentia sua haud defuere viri, literarum amantes atque periti, qui selectis antiquitatum locis largiorem afferre lucem, eaque pervestigare studerent.

Suscepta vero a nobis quaestio, quod sciamus, hactenus non tractata est separatim, nec satis ad liquidum explorata. Attamen illa dignissima est, cui, quippe arcte cohaerenti cum totius veterum vitae publicae et privatae cognitione, accuratior opera nave-

tur Quodsi ab omni parte eam illustrare minus contigerit nobis: doctiores fortasse viros, eosdemque copiosiori praesidiorum penu instructos, conatus nostri primitiae incitabunt, ut amplissimam hanc materiam sibi sumant explanandam et augendam, qua ex re et nostram aetatem fructum non contemnendum percipere posse speramus.

**Q**uod de singulis numeris, eorum illustratione discipulae ambitum magis quam universae illius commentationum diluvis augeri, magnum praedicavit Kästnerus, idem ad dignitatis quoque scientiam accommodari posse videtur. Quare diligentia sua haud debere viri, litterarum amantes, adque periti, qui selectis antiquitatum locis laetorem afferre lucem, eaque pervertegate studeant.

Incepta vero a nobis quaestio, quod scilicet, hactenus non tractata est separatim, nec satis ad liquidum explorata. Attamen illa dignissima est, cui, quippe arte coherentium, cum totius veterum vitae publicae et privatae cognitione, accuratior opera have-

8

Quaecunque ab ingeniis Graecis atque Romanis literis consignata et inventa aetatem tulerunt, eadem non universe solum tanquam praestantissima cuiusvis formae elegantioris monumenta, sed etiam ut saluberrima vitae publicae ac privatae praecepta et instituta ad omnem memoriam commendatiora habentur. Quidquid enim veri pulchrique docendo veteres divulgarent et peragendo; in eo semper id unice spectarunt, ut generis humani civiumque felicitatem fundarent et omni modo augerent. Licet autem et ista aetate verum cum falso, tyrannidis impotentia cum libertate, cum scelere virtus pugnaret: attamen bona veri iustique causa triumphos reportavit innumeros, quibus omnes omnium temporum sapientes, rerum humanarum contemplatores, mirum in modum delectati fuerunt. Neque unquam enim ibi, nec rebus secundis defuerunt, nec adversis, qui florentem civitatis statum ornare, labantem vero, si forte ita accidisset, summa ope sustinere et formare studerent. Quod eo magis fortasse est mirandum, cum, quibus nostri aevi iuventus ad capessendam rempublicam accedit instructa, earum rerum copia plerumque desideretur in antiquitate, veterumque gymnasia et lycea nihil amplius nisi prima quaedam nostrae literarum disciplinae incunabula fuisse videantur.

Sed eiusmodi fuit totius vitae publicae ratio, ut aptissimos alere et educare posset sat multos, qui rei publicae clavum tenere valerent, suamque omnem felicitatem cum communi iunctam habentes, magno animo et excelso, unam illam navem, quae semper esse debet honorum omnium, per syrtes dirigere et scopulos omnes. Huc totus utriusque gentis, seniorum et iuvenum, tendere cursus; hoc ipsum peculiari gentium indole, praeclarissimis institutis ac moribus maiorum, vel ipsa rerum magistra, historia visum est iuvari.

Qua de re priusquam disputare, quaque via et ratione ad rempublicam bene gerendam suos sibi iuvenes instituerint numina Graeciae et Romae tutelaria, accu-

ratius exponere conemur: in angustiorem locum antea concludere causam, virique vere boni et sapientis, civilibusque in rebus ista aetate insigniori laude versati imaginem et formam necesse est in memoriam revocemus.

Missa igitur, quam militia caeteraevae res civiles vulgaris notae postularent, disciplina et exercitatione istud modo inquiramus, qua ratione a teneris inde conformata sit et sublevata illorum gravitas, qui reipublicae optime administrandae eiusque legum periti, et omni sapientia dicendique facultate ornati, privatorum commoda communi omnium posthaberent saluti, qui sanctissimis patriae caritatis flammis incensi, in bello et pace, veri et iusti defensores, vindices innocentiae, cuiusvis artis bonae et virtutis laudatores et patroni, fidique optimorum patriae institutorum tutores existerent, quorumque, haud paucorum, memoria et nobis tradita est et consecrata immortalitati.

Cuius rei stamina si investigates prima, in utriusque gentis natura eximia et conditione deprehendas, qua omnium ordinum iuvenes et senes ad suscipiendum quodvis publicorum munerum genus facile ducerentur. Vitalem enim spiritum ex puriori quodam aethere trahentes et medulla vigeabant validiori. Vigeabant autem aequae libertatis patriaeque amore et gloriae cupiditate flagrantes. Quorum virtutum praeceptis et exemplis cum vatum ore, tum historiae domesticae fastis quotidie imbuti, picturis et signis, muto aere et marmore plurimisque vetustis aetatum diversarum monumentis sunt commonefacti, ut optimorum maiorum vestigiis ingrederentur. Unde non auri ergo et mercedis solum ad rem publicam accesserunt: praesertim cum in regionibus, quae ad meridiem vergunt, facilius victus suppetat quotidianus, vitaeque, composita ad leges frugalitatis, haud magna ibi cura possit sustentari.

Nimirum patria libertate et gloria iam puero Romano et Atheniensi nihil prius fuit aut antiquius; ad earum amorem parentum exempla et exhortationes, blanda matrum alloquia civiumque iudicium eos incitabant, recordatio rerum praeteritarum, praesentium contemplatio et dulcia poëseos commovebant delinimenta. Vatis Maeonii verba: \*)

*αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπέροχον ἔμμεναι ἄλλων*

in scholis et foris puerorum auribus resonuerunt, et in theatris praeclarissima illa Sophoclea: \*\*)

'ΑΛ'

\*) Il. Z, 208. A, 783.

\*\*) Ajax mastig. 480. 481.



Ἄλλ' ἢ καλῶς ζῆν, ἢ καλῶς τεθνηκένας  
 Τὸν εὐγενῆ χρεῖ.

profecto cum voluptate sunt audita, neque sententia Sallustiana: „omnes homines „summa ope niti debent, ne vitam silentio transeant,“ in libris solum regnavit. Quemadmodum enim non ignobilis ista aerugo et cura peculi, quae animos deprimere solent, non efferre, sed natus veri et venusti sensus literarum artiumque antiquarum monumenta finxerunt et condiderunt, quorum praestantia ad hunc usque diem legentium et intuentium animi intima afficiuntur admiratione: ita excellentissimos quosque, qui optime illa aetate consulerent reipublicae, candidior virtutis et gloriae splendor excitavit.

Verum enim vero, qui magni erant foris aequae ac domi, merita sua plerumque omni laudis genere ab aequalibus exornari videntes, eadem praemia et a posteris sibi redditum iri poterant sperare, eamque spem prae se ferre omnino non dubitabant. Quocirca istis temporibus non solam aularum gratiam, non mera beneficia principum annua, in philosophos et poetas aliosve artifices et cives egregios collata, nec magnificorum operum procreationi, nec honestissimis optimi cuiusque conatibus velificata esse, mirum videri non debet. Ut enim quisque patriae amantissimus erat, ita in bona bonorum omnium de se existimatione, in laeta multitudinis acclamatione vivere maxime sibi est visus, omnibusque viribus elaboravit, summae rerum ut bene praeesset.

Quare hoc filio Tullius summopere commendat expetendum \*) „maximam, „dicens, et gloriam pari et gratiam defensionibus: eoque maiorem, si quando accidit, ut ei subveniatur, qui potentis alicuius opibus circumveniri urgerique videatur.“

Quod ipse et saepe postea et adhuc adolescens, contra L. Sullae violentiam Roscii Amerini causam perorando, exemplo suo comprobavit, quo omnium aetatum iuventuti praeiret, ut quod fieri possit, saluti hominum prospiciat, omnesque cogitationes et actiones non utilitate, sed iustitia et honestate metiatur. — Haec illa est gloria, solida quaedam res et expressa, non adumbrata, consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de eccellente virtute, quae huic resonat tanquam imago. \*\*)

Quaecunque autem loquerentur, et agerent et fugerent viri populares, ea non in conclavibus scriptoriis consessive occulto recondita fuerunt: videri et con-

\*) de off. II, 14.

\*\*) Tuscul. qu. III, 2.

spici poterant sub dio, in foris et in concione audiri: neque omnino attentae multitudinis adspectum vitare, nec communis de se opinionis criminationi nec laudationi ut se subducerent, iis concessum fuit.

Quocum morum ea est simplicitas consociata, quae temperantiae mater est assiduaeque industriae, quibus feliciorum antiquitatem legimus floruisse. Etenim ingravescente praemature isto libidinum fructu, quo postea, Romae praesertim, in peius versa omnia, omniaque humanitatis studia liberaliora oppressa sunt et paene extincta; quae illa mentis perfectio et absolutio educi poterat et excoli, in qua omnia apprime concordant quamque in temperaturis hominum sortes iure postulamus? Quae tot rerum cognitiones studiose poterant percipi et addisci, quibus legum ferendarum recteque administrandae reipublicae fundamenta iaciuntur firmissima? Quae conservari ea animi indoles et agitatio, qua omnia ad summum bonum et communem omnium salutem referuntur? — Idcirco apud veteres vates et sapientes de ignavia et luxuria etiam atque etiam sunt dehortati, omnesque boni frugalitatem commendare et continentiam non destiterunt, sanctos Vestae ignes enixe alentes. Hac parte quoque Thucydides unice veram Atheniensium speciem, Corinthiorum ore, iis infestissimorum, adumbravit. \*)

„Ἐτι δὲ τοῖς μὲν σώμασιν ἀλλοτριωτάτοις ὑπὲρ τῆς πόλεως  
 „χρῶνται, τῇ γνώμῃ δὲ οἰκειοτάτῃ ἐς τὸ πράσσειν τι ὑπὲρ  
 „αὐτῆς.“

Quorum verba priora scholiasta, et Hackio v. d. probatus, ita interpretatus est:  
 „corpora pro urbe obiectant, tanquam sint non sua, sed aliena.“

Et deinceps:

„Καὶ ταῦτα μετὰ πόνων πάντα καὶ κινδύνων δι' ὅλου τοῦ αἰ-  
 „ῶνος μοχθοῦσι καὶ ἀπολαύουσιν ἐλάχιστα τῶν ὑπαρχόντων,  
 „διὰ τὸ αἰεὶ κτᾶσθαι, καὶ μήτε ἑορτὴν ἄλλο τι ἠγεῖσθαι ἢ τὸ  
 „τὰ δέοντα πράξαι.“

Juvat hic immortales illas summi philosophi sententias in memoriam revocare, cuius ore Musae ipsae et Gratiae locutae esse dicuntur \*\*); qui Socratis ore, disputantis, — qualis educatio ad vitam cum honestate degendam et ad rempublicam recte administrandam requiratur, — laborem potissimum et continentiam commendaturus celeberrimam tradidit de Hercule fabulam, laudatis Hesiodi verbis:

\*) Lib. I, 70, med.

\*\*\*) Xenoph. memor. II, 1.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἰδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκεν  
 Ἀθάνατοι.

Et Epaminondae verba, aeterna illa memoria digna: „Namque orbis terrarum di-  
 „vitiis accipere nolo pro patriae caritate.“ \*)

Ista mens etiam populo Romano, in Punicorum usque bellorum tempora  
 potissimum, Fabricios tulit et Catones, eumque nobilissima magnorum virorum au-  
 xit ubertate. Degenerasse vero illam vehementer temporis decursu, licet suspicari,  
 cum vates Venusinus hasce effuderit querelas: \*\*)

„Aetas parentum, peior avis, tulit

„Nos nequiores, mox daturos

„Progeniem vitiosiore.“

Easdem fere et Juvenalis: \*\*\*)

„Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat

„Posteritas: eadem cupient, facientque minores:

„Omne in praecipiti vitium stetit.“

Quamobrem Petronius. †)

„Artis severae si quis adamat effectus,

„Mentemque magnis applicat: prius mores

„Frugalitatis lege poliat exacta,

„Nec curet alto regiam trucem vultu

„Cliensque coenas impotentium captet,

„Nec perditis addictus obruat vino

„Mentis calorem.“

Et Cicero, recte et honeste vivendi praecepta tradens: ††) „Maxime autem haec  
 „aetas (adolescentis) a libidinibus arcenda est, exercendaque in labore patientiaque  
 „et animi, et corporis: ut eorum et in bellicis et in civilibus officiis vigeat indus-  
 „tria. Atque etiam cum relaxare animos et dare se iucunditati volent, caveant in-  
 „temperantiam, meminerint verecundiae.“ Quae dicta et nostrae aetati renovanda  
 esse, nemo sane iustus rerum aestimator, negabit. Qua enim Themistoclis et Sci-  
 pionum pectora iuvenilia flamma fuerunt incensa, rarius eadem nostrorum animos

\*) C. Nep. Ep. IV.

\*\*) Od. III, 6.

\*\*\*) Sat. I, 147—149. cf. Persii sat. III, v. 63—64.

†) Satir. cp. 4.

††) de off. I, 34.

iuvenum incalescere videas, in quibus tot opinionum totque pravitatum vanitates a teneris, saepissimeque parentum culpa, insederunt. An non in eligenda vitae ratione potissimum quaerunt, quid victum suppeditet et cultum, vitaeque prospicientes commoditati adeo literarum studia mercedis causa colunt, aurique pondere ingenuarum artium pretium aestimantes ac dignitatem Horatiana illa se dignos gerunt castigatione: \*)

„O cives, cives, quaerenda pecunia primum est,

„Virtus post nummos:“ —

Fuit praeterea hoc antiquitatis proprium, ita instituere futuros gentium moderatores et erudire, ut natura duce, *non scholae sed vitae discendum* esse intelligerent. Neque enim magis in rerum contemplatione iuvenum animos defixos esse veteres voluerunt, quam ad *agendum* praeparatos et promptos inque vitae usum bene instructos. Eiusmodi disciplina cum in quibusvis eorum institutis cernatur, quicumque eam explorat et pertentat, ex ea percipere potest, quantum qui exterarum nationum regiones et mores perlustravit. Non mera enim scholarum doctrina, sed quae natura enascitur et vitae consuetudine, optime vivendi ratione et agendi puerorum mentes imbuendas esse putarunt. Quocirca contrarium sui aevi morem et perversum castigat Petronius: \*\*)

„Ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia  
„nihil ex iis, quae in usu habemus, aut audiunt, aut vident;“

et paulo ante:

„Nunc et rerum tumore et sententiarum vanissimo strepitu, hoc  
„tantum proficiunt, ut cum in forum venerint, putent se in alium  
„terrarum orbem delatos.“

et deinde:

„Nondum iuvenes declamationibus continebantur, cum Sophocles  
„aut Euripides invenerunt verba, quibus deberent loqui!!“

Nempe tunc prisca Romanorum simplicitas in odiosam istam affectationem degeneraverat et dementiam, qua mores nec minus, quam literae et artes ad exitium sunt vocata. Etenim Tulliorum aetas et Flaccorum abstrusam illam nec satis apertam cogitandi et dicendi rationem, mellitos verborum globulos et omnia dicta et facta papavere et sesamo sparsa, respuit ex animo, suamque mentem saniolem vero et vivo sani sermonis colore expressit. Sic Athenis quoque acerbissime sunt re-

\*) epist. I, 53.

\*\*) in init. Satirici.

prehensae, ipsisque in scenis cavillationis stimulis mulcatae perniciosae Sophistarum hallucinationes, quo tempore philosophiam de coelo in terram Socrates deduxit, cui ipsi ab iis, qui eum perperam intellexissent, haud est temperatum. Quin provida Catonis auctoritate olim et Romae cautum fuit, Graecorum legatis ne captiosis contortisque interrogationibus juvenum animos depravare liceret. Nimirum eos *vita ipsa in vitae usum* instituendos esse veteres censuerunt, veraque rerum cognitione ditandos et aureis dictis, qualia sancta Graiorum sapientium heptas reliquisset. Cuiusmodi carmina, oraculorum instar, cum religione sunt propagata, in epulis diebusque festis cantitata, nec ulla unquam deleta oblivione. Quodsi autem Solonem de semetipso praedicantem legimus: *γινάσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος* \*) tantum abfuit, ut eum unice *libris* edoctum fuisse et arte cogitemus, ut potius simplicissima ratione insitaque vi alienam auctoritatem parum secutus, proprio nisu ex inscitiae nebulis ausus sit emergere. Quare etiam in Themistoclis encomio silentio non praeteriit Thucydides (L. I, 138.) eum suoapte ingenio, neque praecedente neque accedente ulla doctrina, (*οὔτε προμαθῶν, οὔτ' ἐπιμαθῶν*) consilii in rebus subitis fuisse praesentissimi, de futuris optime coniecisse, quaeque in manibus haberet, praeclare gubernasse. Rarissimus enim diu scriptorum fuit usus librorum, neque adeo insita vis naturae humanae illorum diluvie se obrui est passa, immoderato illo, quod obtinere coepit apud recentiores, lectitandi studio cum pernicie sua plane ignoto. Nihilominus veri pulchrique imaginem animis impressam fuisse, veteresque multam menti excolendae navasse operam, prospero cum successu; et scriptis eorum constat, et artium monumentis; quae, antiquius famigerata, in effingendis rerum formis versantur. Accessit, quod inclytorum fere quisque, qui aut bellica laude aut civili floruerint, itinera ad peregrinas fecit gentes, quarum naturam et linguam, mores et religiones satis edoctus larga cum scientiae copia in patriam rediit.

Sic multa ad excitandum summum sapientiae et honestatis studium idemque conservandum impense conspiraverunt, illis praesertim temporibus, quibus res sancta est visa, bene de republica meritos, *εὐεργέτας*, honorificentissima mentione et publicis decretis, datis immunitatibus, coronis et signis triumphisque ornari. Hac mente olim Marcellus Honori aedem vovit et Virtuti. Quam cum ex pontificum iudicio utrique dedicare simul non liceret ita voto satisfactum, ut per alterius pene-

\*) Stob. XXX ad quem versum alludit Plato in Lach. §. 38.

tralia ad alteram aditus pateret. — O praeclaram illam veritatem et divinam omnium praetereuntium sensibus subiectam et in iuventutis pectus animosque demissam: *non videri, sed esse*, hominis vere ingenui esse et magni; non simulata quadam et fucata honestatis specie, sed verae viae et sinceræ virtutis et constantiae ad gloriae nobilitatem perveniri: neque sanguinis claritudine, neque affluentia opum, neque aureo ostri iubar, titulorum imaginumve luce, quæ in atriis splenderet, sed labore et industria, sed laudibus beneficiisque immortalibus, præmia et palmas, coronas et triumphos comparari! Quo quidem more pristino violento Caesarum imperio plane esse deflexum, inter alios et Suetonius auctor est in vita Claudii, \*) qui puero nondum puberi triumphalia ornamenta, eademque petentibus legionibus, sine ulla belli causa, dare non erubuit. Eadem et rerum scriptores, utpote optima Graeciae Romaeque aetate digni, senserunt, id unice spectantes, ut cuiusvis virtutis civilis semina foverent igniculosque conflarent. Hoc eodem studio viguit Olori filius, non minus dicendi et scribendi, quam agendi peritus, qui ad mentis humanae fastigium evectus, ex quo in proxima quaeque et longissima oculos convertere posset, conditam pectore rerum universitatem servavit. Hac parte neque huic, cum Fabio, \*\*) e Latinis Sallustium opponere, neque his aliam historiae lucem conferre sociam, Patavini dico, vereamur, qui, in operis limine, omnis exempli documenta, in illustri posita monumento, intuenda et inde aetate adiunctis posterisque, quod imitentur, capienda relinquere se voluisse declarat. Quod divulgandae verae virtutis ac prudentiae civilis consilium etiam philosophorum disciplinae sunt secutae, ut ex innumeris liquet Graecorum et Ciceronis dictis, qui Graeca lumina transtulit ad Romanos. Qui quidem tantum abfuit, ut novarum rerum cupidus, rempublicam ad suum arbitrium vellet conversam, ut potius ex Platonis, quem vehementer auctorem sequebatur, sententia, „tantum contendendum in re publica esse censeret, quantum probari civibus possit; *vim neque parenti, neque patriae afferri oportere*, \*\*\*) conversisque rebus, temporibus esse assentiendum: — nunquam enim praestantibus in republica gubernanda viris laudatam esse in una sententia perpetuam permansionem: sed, ut in navigando tempestati obsequi artis est etiamsi portum tenere non queas; quum vero id possis mutata velificatione assequi, stultum est, eum tenere cum periculo cursum, quem ceperis, potius, quam, eo mutato, quo velis tandem pervenire: sic, quum omnibus nobis in ad-

\*) Suet. v. Claud. 24.

\*\*\*) Quintil. inst. orat. X, 1.

\*\*\*) Ep. ad famil. I, 9. ad Lentulum.

„ministranda republica propositum esse debeat id, quod a me saepissime dictum est, *cum dignitate otium; non idem semper dicere, sed idem semper spectare debemus.*“ Cuius sententiae partem nuperrime ad illustrissimi viri principis *de Hardenberg* agendi rationem accommodatam legimus; \*) quod quo iure factum sit, eius arbitra historia erit.

Hoc igitur modo in universum, quidquid utraque natio ingenio et moribus et arte insigne haberet, ad iuventutis educationem redundavit. Verum enim vero et hac parte non omnia omnibus numeris absoluta fuerunt, et optimam quamque Graecae gentis aetatem et Romanae germina quaedam simul fovisse pestifera, neminem fugit, nisi qui temere ante concepta ducatur opinione. Sed totius vitae publicae ratio ita fuit comparata, ut ad animos magni, excelsi et generosi sensu imbuendos apprime faceret. Ita adolevit et Spartana iuventus nec grammaticorum rhetorumve scholis erudita, nec ulla librorum lectione, quippe cuius oculis auribusque simplicitatis, altitudinis animi, veraeque fortitudinis exempla in celebritate virorum, in liberis concionibus et pugnis, immo vero in conviviis sunt oblata. Natura enim imprimis duce istarum gentium vegeta facta sunt ingenia, neque singulae tantum eius dotes, sed ita sunt excultae omnes ut missis, quae multum valent apud recentiores, tot exercitationum, ex alieno impulsu ortarum, ineptiis, disciplinarum farragine artificiisque periculorum, rectus teneretur modus, ut unusquisque sua sponte in humanitate proficere et totus in se ipso ac teres fieri et manere posset atque rotundus.

Fuit eadem illa animi excelsitas, quae omnium bonorum et vere magnorum, quae et Ciceronis mentem impleret, cum libros illos, de virtutibus, quae ad rempublicam accessuros ornare debent, praeclarissimos ad Marcum filium exararet, eumque detrahere aliquid alteri, edoceret, et hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis esse contra naturam, quam mortem, quam paupertatem, quam dolorem, quam cetera, quae possunt aut corpori accidere, aut rebus externis \*\*). Eodem consilio simulque fraterno motu amore, epistolam illam scripsit, Wilando nostro orationis seu hortationis nomine apte appellatam, qua sapientiae civilis summam complecteretur. „Ibi enim, nihil reperiri tam eximium, inquit, aut tam expetendum, quam esse, quocumque veneris, et publice et privatim maximam laetitiam: quum urbs custodem, non tyrannum, domus hospitem non expi-

\*) In eius vita, Zeitgenossen XXII, S. 47.

\*\*\*) de off. III, V.

„latores recepisse videatur. Huc enim omnia ei videntur esse referenda iis, qui praesunt aliis, ut ii, qui erunt eorum in imperio, sint quam beatissimi.“ \*)

Haec igitur fuit virtutum et dictis et scriptis factisque commendata societas, qua auspicatae iuventuti viam ingredi liceret honorum. Sed et magna quaedam fuit institutorum vis eximiorum, quorum quaedam, cum temporum iniuria interierint, revocanda sunt fortasse nostrae aetati.

Minime enim est, cur Graeci coeli vel Italici temperiem tam salutiferam animos excitasse credamus, ut terrigenarum instar enati sint ibi, qui domi magni essent, nec militiae minores. Quaevis enim terra magna in quovis genere semina gignere potest, nisi sicubi consuetudinum aliarumque rerum externarum iniquitas impedierit, quominus caligine emergant crassiori. Quemadmodum enim ubique gentium laeta libertas cuiusvis boni alma genetrix esse solet: ita eiusdem patrociniis viri insignes in republica gubernanda in lucem prodire solent et oratores perfecti. Exemplo esse magna potest Britannia, libertatis patria et abundantiae sedes, literarum et artium nutrix, ac virorum, rerum civilium peritissimorum et oratorum parens et educatrix, quae et fuit semper et florentissima erit, quamdiu aberit detestabilis illa morum corruptela, qua de summo potentiae gradu Roma est praecipitata.

Videamus igitur, quaenam fuerint et qualia instituta illa, quorum auspiciis iuvenes Graeci et Romani ad rempublicam accesserint bene et sapienter gerendam. Quaecunque autem de hac re utriusque gentis literis posteritati sunt prodita, ea in unum contrahamus, ut propriam hanc vitae veterum partem lineis describamus extremis. Plane nova enim et inaudita profiteri, nec volumus, nec valemus, acquiescentes in colligendis et comparandis, quae, in literis antiquis passim et fusius sparsa, certe ratione collata iis, qui antiquitatum studia in deliciis habent, haud ingrata esse videatur. Quodsi hocce in negotio non potuerimus temperare, quin cum praeteritis praesentia componamus aperte, inque veterum vitas, tanquam in speculum inspicere interdum iubeamus aequales: fore, ut de honesto consilio nostro, ut par est, non perperam iudicetur, speramus, haud mediocrem animo voluptatem capturi, si etiam alii, in hoc argumento bene versati, et copiosioribus, quam nobis contigit, doctrinae praesidiis ornati, hancce materiam resumserint tractandam.

Permagnam

\*) ad Quint. fr. I, 1.



Permagnam autem bonae educationis vim esse ac dignitatem, utriusque gentis sapientiores omni tempore sunt professi.

Οὐ γὰρ ἔστι, περὶ οὗτου θειοτέρου ἂν ἄνθρωπος βουλευσάιτο,  
ἢ περὶ παιδείας, καὶ αὐτοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ οἰκείων —

Sic cum Demodoco communicat Socrates in Theage Platonis, qui idem in dialogis de legibus omnibus et septimo praesertim reipublicae bona aut mala omnia bonis aut malis singulorum moribus, eosdemque bona aut mala aetatis primae educatione fovendi declarat. „Neque ad ullius rei summam nisi praecedentibus initiis perveniri, et sicuti aves ad volatum, equi ad cursum, ad saevitiam ferae gignuntur, ita nobis propriam esse mentis agitationem atque solertiam, unde origo animi caelestis credatur, fatetur Quintilianus.“ \*) Idem et protinus quemque, ut fuerit parens factus, acrem quam maxime curam spei futuri oratoris, impendere debere praecepit. — Fuit autem, omni aetate, ita tum quoque suis matribus honos, quarum plures praeclarissimas ipsas et filios eduxisse praeclarissimos, historia docet. Ubi enim Corneliae aetatem agunt et Aureliae, ibi Gracchi quoque et Caesares nascuntur.

In universum autem veteres in iuventutis disciplina severitatis vel saepius rigoris leges sunt secuti. Severior loci disciplina, ait Seneca, firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit. Probe igitur scientes, optime imperaturos esse aliquando, qui antea obedire didicerint voluntati aliorum, dictis suis et iussis filios accuratissime audientes esse patres voluerunt. Lex, pueris data, velut emissa divinitus vox sit; iubeat non disputet. — Sic Seneca \*\*), cuius verba quasi repercussa audias ex antiquissimis temporibus, illis scilicet, quibus stirpem suam delere, patriae potestatis iure, ob violatas simul patrias leges et paternas Brutus non dubitaret, et Manlius Torquatus laurea donatum filium manibus traderet lictorum.

Praeterea veteres plus assiduitatis et studii ad bonarum rerum disciplinas et ingenii facultates excolendas adhibuisse, quam vulgo existimari solet, permultis magnorum virorum vitis comprobatum esse videtur. Haud nimii erant in nimiiis rebus discendis et agendis, nec nimis variis distenti, in cuius reprehensionem nostrae aetatis homines plerumque incurrunt, et quidquid doctrinae utraque gens insigne haberet, cum religione in usum iuventutis servandum putarunt. Lustrentur inter Graecas civitates inprimis Athenae: plura enim ceterarum pluribus cum illis

\*) Instit. orat. in prooemio et cp. 1.

\*\*\*) cp. 94.

fuerunt communia. At Lacedaemonii cum belli quam pacis artes iuvenes edoceri mallent, rerum civilium prudentia eos imbui parum curarunt. In verecundia vero et obsequio erga parentes et duces severissime eos continebant, ita ut disciplina ista meditatio esset obedientiae \*). Sexto autem aetatis anno exacto pueri, non exceptis regum filiis, ad unum omnes, publice sunt enutriti ad tolerandos belli labores. Similis mos et in Creta obtinuit, ubi etiam, ut inter Lacedaemonios, systitiis sapientiae civilis cognitionem et praecepta inter sodales ipso usu et consuetudine communicata esse patet. Sic ipsa morum et legum severitate et animadversa rationis, a quovis magistratu reddendae, necessitate iuvenes ibi ad capesenda munera publica mediocriter praeparati accesserunt. Minime ergo mirum videri debet, liberaliorem cultum et educationem, quae innotuissent vicinis, a gente, armorum delectata horrore, plane ignoratam esse nec unquam mente comprehensam. Athenas autem iam ante Solonem (sic enim a Doribus discrepabant stirpes Ionum) optima aevi, quo Musarum chorus et Gratiarum iis arrideret, germina fovisse multis est indiciis compertum. Praeclara illa Simonidis:

Μέμνησο ἄνθρωπος ὦν!

quid unice contenderint et laborarint ingenia Graecorum liberaliora, satis pulchre exprimunt. Humanitatem enim cum omnium virtutum fundamentum summumque mortalium bonum esse intelligerent; insitas omnes homini ingenii facultates, quibus eo, quo nati sumus, ducimur, diligenter excolendas censuerunt. Diligenter enim ponderata ea, quae animantium principi est, dignitate, et ratione vitae puero- rum futura et provincia parum curata, literis illi, an reipublicae et militiae, an artibus vel mercaturae aliquando sint vacaturi, haud quaerebant ea sollicitudine, qua nos istud interdum facere solemus. Φιλομαθίαν vero, φιλοπονίαν et προ- παιδείαν \*\*) uveni, humanitatis studioso et magistratus olim petituro, minime remittebant; quippe cuius mens καλοκαγαθία, σωφροσύνη, φιλοκαλία et φιλαν- θρωπία sit ornanda \*\*\*). Res sane haud absona a fine, ad quem civilibus officiis functuri cursum tenerent! Quid? quod hodie adhuc, tot saeculis praeterlapsis eorum nepotes, haud parvam certe recentioris Graeciae incolarum partem, nihilo sequius eodem tramite tendere ad altiora, nuperrime est nunciatum! Quid? quod hodie adhuc ibi proverbii loco: „μανθανω γραμματα, δια να γενω ἄνθρωπος“—

\*) Plut. in Lycurg. cp. 16.

\*\*) ut optime rem coarctavit Gurlittius v. cl. in oratione nuper habita.

\*\*\*) cf. Koch, die Schule der Humanität, eine gekrönte Preisschrift. S. 18.

ab iis, quis operam dant literis, dici solere narratur! Quibus verbis cum naturam excellentiorem satis eloquantur, maioribusque dignam: qui libertate hanc gentem superstitem autumant indignam, viderint, ne iniustissimam tulerint sententiam.

Neutiquam vero hoc loco omnem omnino, qui veterum fuit, educandi et erudiendi morem, in libris sat multis expositum, repetitum enarrare in animo habemus. Sed quaecunque ad reipublicae gubernacula sessuris a prima aetate usque ad virilem optime conduxerint, eadem, ab antiquitatis rituum auctoribus hactenus, quod sciamus, parum coniunctim descripta, lectorum obtutui una monstrando succincte explicare, operae pretium fuerit.

Communis quidem pueros educandi consuetudo Atheniensium fuit, sed a Lacedaemoniorum legibus valde abhorrens. Id enim praecipue spectaverat Solon, ut civium non corpora solum, sed mentis quoque facultates omnes exercerentur, et ad ampliora patriae officia praepararentur apte praestanda. Iam vero sexto aetatis anno exacto, comite paedagogo pueri ludos frequentare, quibus utramque naturae humanae partem excolere liceret. Arti gymnicae et palaestrae a pueris studiose data opera, aetate adulta et corpora in gymnasiis et animi adversus vitae labores sunt multifariam indurati: *ἵνα τὰ σώματα βελτίω ἔχοντες ὑπηρετῶσι τῇ διανοίᾳ χρηστῇ οὔσῃ, καὶ μὴ ἀναγκάζονται ἀποδειλιᾶν διὰ τὴν πονηρίαν τῶν σωμάτων, καὶ ἐν πολέμοις καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις πράξεσι.* \*) Quod fructuosissimum corpora exercendi genus ab adolescentibus hodie plerumque negligi et admodum susque deque ferri, sane est dolendum, vitae, quae eos manet, plerumque sedentariae miseria istud tam serio suadente.

Maximam vero utilitatem, ex optima quaque, prima literarum elementa discendi, ratione redundantem, veteres haud ignorarunt. Quare Fabius \*\*): „An Philippus, Macedonum rex, Alexandro, filio suo prima literarum elementa tradi ab Aristotele, summo eius aetatis philosopho, voluisset aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum initia et a perfectissimo quoque optime tractari, et pertinere ad summam credidisset?“ — Ita autem placuit bonae Fortunae, ut rectae intelligentiae eiusque incrementis sacerdotum ordo parum nocere apud Graecos posset. Neque enim solus ille in literarum artiumque ibi venerat possessionem, neque iuventutis ei cura et disciplina erat demandata, quippe quia de libero populo cuius ad liberales artes apertus esse aditus deberet. \*\*\*)

\*) Plato in Protag. XLIV.

\*\*) institut. orat. 1, 23.

\*\*\*) Rotteck's allgem. Gesch. B. II, S. 413. — Iacob's Atheniens. Briefe, Th. I, S. 270.

Literarum universitates, quales sunt nostrae, omnem doctrinae orbem complexae, veteribus quidem plane incognitae fuerunt: attamen amplissimus Atheniensium quisque humanitatis studiis omni cura mentem excoluit, latissimeque *artis musicae* usus patuit Graecis. Omnes enim illa continuit disciplinas, quibus mens iuvenilis debet impertiri; quare eam et Aristoteles efficacissimam laudavit \*). Ante omnia ad praestantiam nativi sermonis penitus cognoscendam omnia sua studia iuvenes contulerunt, barbaras linguas contemntes, exercitati simul et emolliti tibiis fidibusque canendo et ad sonos chordarum cantando: ἵνα ἡμερώτεροί τε ᾧσι καὶ εὐρυθυμότεροι καὶ εὐαρμωστότεροι γιγνόμενοι, χρήσιμοι ᾧσιν, εἰς τὸ λέγειν τε καὶ πράττειν. Πᾶς γὰρ ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου εὐρυθυμίας τε καὶ εὐαρμωστίας δεῖται \*\*). Grammaticorum ope, quorum artes cum musica arctissimo vinculo cohaerebant, illustriorum optima quaeque carmina poëtarum interpretantes memoriae mandabant, ita, ut haud pauci vatis Maeonii versus a capite ad calcem recitare possent. Quo factum est, ut acueretur pueri iudicium, pectusque a teneris inde libertatis et omnium virtutum sensu impleretur, quo imbutus muneribus publicis, olim capessendis, functurus esset gloriose, ἵνα ὁ παῖς ζῆλῶν μιμῆται καὶ ὀρέγεται τοιοῦτος γενέσθαι †).

A pueris quidem in armis exerciti sunt Atheniensium cives; ab anno inprimis aetatis duodevicesimo iuvenes, ephebi facti, (cui, haec lecturo, non in mentem venit lex similis, nuper in Borussia lata!) in arte bellica exerceri coeperunt, ad quam in stadiis gymnasiisque bene praeparati accedebant, Atticaeque regionis custodia iis est demandata (περίπολοι). Anno autem vicesimo, nominibus eorum tabulis publicis perscriptis, ἐν Ἀγραύλου solenni sacramento sunt adacti, ut vel una cum civibus, vel soli ipsi, reipublicae salutem et incolumitatem sacrorum usque ad ultimum rerum discrimen essent tuituri, obtemperaturi legibus, populi consensu latis, rerumque novandarum libidini omnibus viribus obnixuri ††). Ad eundem usque annum etiam in philosophiae, matheseos et inprimis in eloquentiae studiis, quae certis gradibus continuarentur, adolescentiam transegerunt; quorumque scena *forum* futurum esset et iudicia, illi nativo colore quodam et gratia orationes scriptas putarunt exornandos, ita ut habitis simillimae essent. Tunc demum interesse

\*) in Polit. VIII, 4.

\*\*) Plato Protag. XLIII.

†) Plato de leg. Bip. II, p. 72 et Protag. XLIII.

††) Pollux VIII, cp. 9. et interpr. περί περιπάλων καὶ ἐφήβων. —

publicis deliberationibus, cognoscere leges, honoribusque inservire. Quos ne quis peteret, nisi militia identidem perfunctus, lege cautum fuit. Medio illo tempore multa, quae ad rempublicam pertinerent, usus eos docuit et consuetudo, dum simul enixe id agerent, ut ad seniorum societatem se applicarent et sapientiorum, quod et de Alcibiadis cum Socrate atque de Periclis cum Anaxagora familiaritate aliorumque Plutarchus narravit. Qua autem ratione nobiliore genere nati fuerint eruditi, eius rei memorabile exemplum in Epaminonda C. Nepotis breviter habemus expressum. Istud quoque haud parvi est ducendum, Athenis omnibus aequae oblatam, plana iura discendi facultatem fuisse, quae unice convenire libertati putaretur; ἵνα πᾶσιν ἢ ταῦτ' ἀναγνώσασθαι, καὶ μαθεῖν ἀπλᾶ καὶ σαφῆ τὰ δίκαια. In quo multo illi aliter fecerunt, quam Romani, callide impeditis formulis et laqueis usi, quo difficilior iuris scientia fieret \*).

Ceterum apud veteres res militaris atque virtutes civiles non tantum disiunctae seu potius inter se oppositae fuerunt, quantum fert nostra consuetudo, magnique saepe imperatores prudentia industriaque civili excelluerunt. Sic apud Romanos, qui strenuissimi fuissent in bello deposito sago illico togam praetextam vestemve sacerdotalem sumserunt. Sic etiam Athenis Themistocles et Aristides, Cimon et Alcibiades utroque nomine fama sunt celebrati. Cuius mens non Periclis completur admiratione, in quo tot et variae laudes sunt consociati! Qui cum morti proximus decumberet et amicos, qui lecto assiderent, mentis eum non amplius compotem esse credentes, victorias suas commemorantes et tropaea audivisset; cunctos compellavit, mirarique se dixit, eius, quod maximum esset et praeclarissimum, nullam fieri mentionem; neminem enim Atheniensium unquam propter se vestes induisse lugubres \*\*).

Quae autem summatim de hac re in libro de republica aliorumque operum mille foliis divinus Plato disseruit, ea quidem maximam partem miram ipsius ubertatem declarant et sapientiam, sed simul documento sunt manifestissimo, cives suos eum a percipienda rei magnitudine haud alienos existimasse.

Atqui etiam in Graecia, ut in mores omnino, in adolescentulorum quoque educationem consuetudinum depravationem irrepsisse, paulatimque a maiorum auctoritate degeneratum esse; in Nubibus Aristophanes descripsit ad vivum. Qua fabula, utpote politico-paedagogica, praeter alios errores, in peius mutatam educandi rationem, quae usu invaluisset, et ad publica tendendi negotia acerbe tangi,

\*) *Demosth.* adv. Leptin. cura Wolf. Proleg. CXXXI et orat. §. 75.

\*\*\*) *Plut.* in Pericl. ep. 69.

et hoc fonte pristinae simplicitatis et fortitudinis interitum, civitatisque et familiarum cladem derivari, a Wolfio v. cl. consueto iudicii acumine est demonstratum.

Veniamus ad Romanos, quorum res fuerunt florentissimae, quamdiu antiqua illa virtus vigeret, quae bellica laude perinde ac severa morum disciplina et sanctitate religionis, invidiae hostium et temporum iniuriae resistere valeret. Unde ad iuventutis quoque indolem confirmandam et praeparandam maxima redundasse comoda, facile intelligitur. Et sane hanc gentem, quae in omni alio genere Graecis humeris ad suam adsurrexit magnitudinem, in hoc sua sponte multum profecisse, ut credamus, iam eo duci videmur, quod nobiliores matronae matresque mansuetiores longe plures in eorum historia nobis se obviam praebent, quam in Atheniensium; ex quorum feminis tantum amicae illae, *ἑταῖραι* nominatae, urbanitate et facetiis ceteris insigniores fuerunt. Gynaecis enim exclusae a luce conventuque hominum uxores vitam trahebant nimis segregem, facta parum copia, puerorum mentem, patriae commodis natorum, opera sua iuvandi. Atqui prima semper altrix liberorum humanitatis praesens parentum pietas esse videtur.

Antiquissimis autem temporibus etsi simplicissime ingenia iuvenum formarentur, sedulo tamen ad istud negotium patres animum attenderunt, filios in forum, in comitia, in senatum aequae atque in militiam et agros secum ducentes, exercendo corpori magis quidem rei que militari, quam menti eorum prospicientes, literarum studia liberaliora per diu aspernati. Neque tamen ulli omnino genti liberorum educatio magis curae fuit.

Exactis enim circiter quinque saeculis a. u. c. magna Graecia, Hetruria atque Sicilia sub Romanorum potestatem redactis, praesertim post bellum Punicum secundum, artes ingenuae paulatim pensi sunt habitae, et nobiles quique famaque ad illustriorem aspirantes, quod et de Pompejo et Caesare memoratur, ad eloquentiae studia enixe incubuisse, et iisdem filios et nepotes, ut M. J. Brutum Cato, imbuisse perhibentur \*). Cuius rei memoriam literis consignatam quamquam non habemus copiosiore, ex Ciceronis tamen paucorumque vitis et scriptis de ea iudicare licet. Nimirum postea, cum a pristina simplicitatis via iam esset declinatum, magis magisque ad Graecorum consuetudinem deflexit Romanorum educatio. Principio quidem ipsi saepe parentes ingenui filios erudire soliti sunt, posthaec publicis tradere ludis, nulla simul occasione colloquiis eos informandi intermissa. Domesticam imprimis institutionem multum ad formandam linguae puritatem con-

---

\*) Leben des Cicero, cf. Middletons B. III, übers. v. Seidel, S. 276.

ferre, non fugit parentes. Sic fuit Gracchus diligentia Corneliae matris a puero doctus et Graecis literis exquisitisque e Graecia magistris eruditus \*). Magni enim et tunc interesse credebatur, „quos quisque audiret quotidie domi, quibuscum loqueretur a puero, quemadmodum patres, paedagogi, matres etiam loquerentur. Legimus epistolas Corneliae, matris Gracchorum: apparet, filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris \*\*). — (Quid mirum tali matre imbutos filios toto, ut dicunt, pectore postea suscepisse patrocinia plebis et iusti et aequi vindices extitisse!) — Auditus est nobis Laeliae C. F. saepe sermo. Ergo illam patris elegantia tinctam vidimus etc.“ Sic auctore Nepote \*\*\*), Atticum pater, prout ipse amabat literas, omnibus doctrinis, quibus aetas puerilis impertiri debet, erudit. Eodem modo Ful. Agricola †) in matris Procillae sinu indulgentiaque educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit.

Iam vero, ut corpore fierent ferendis laboribus pares, pueri et adolescentes exercitationibus ludorum in campo Martio operam navabant. Maiorem interea ingenii maturitatem nacti Graeci cuiuspiam magistri scholas frequentabant celebrioris, ne intra privatos parietes hominum aciem reformidare assuescerent, quibus olim in magna frequentia, in maxima celebritate, vel in media reipublicae luce vivendum foret, neque illa solitaria et velut umbratili pallescerent vita ††), ut etiam condiscipulos proveciores imitarentur et aemularentur; sicuti vites arboribus applicitae, inferiores prius apprehendendo ramos, in cacumina evadunt. — Itaque Grammaticorum †††) et rhetorum ope linguam Graecam et Latinam sunt edocti, liberoque homine digna humanitatis studia. Legebant poëtas, patremque inprimis poëtarum, interpretabantur praeclarissima exemplaria oratorum, cognoscebant historiarum scriptores, arithmeticam, geometriam musicasque artes et picturam exercebant. Quanto autem studio et amore patrium sermonem amplexi sint Romanorum nobiliores, — maiori fortasse, quam apud nostros publicis negotiis occupati facere solent, — ex multis vestigiis in promptu et manifestum esse videmus. Ita cum a Pompeio Victoriae templum esset dedicatum, cui nomen eius et honores inscribe-

\*) Cicero in Brut. c. 27.

\*\*) ibid. cp. 58, et seq.

\*\*\*) Vita Attic. I.

†) Tacit. Agric. IV.

††) Quintil. inst. orat. I, 2.

†††) cf. Sueton. de illustribus grammaticis et de claris rhetoribus; et Walchii historia critica linguae Latinae cp. IV.

rentur, ac tertiumne an tertio Consul scribendum esset, ambigeretur; Cicero, sententiam rogatus, scripturae compendium suavit, ut verbo non perscripto res quidem demonstraretur, sed dictio tamen ambigua verbi lateret \*). Tanta tunc temporis fuit nativi sermonis castitatis observantia!

Plurimum vero laboris et operae in eloquentiae studiis collocarunt, utpote maxime necessariis ad civilia munera rite et honeste explenda. Hanc enim de patria bene merendi rationem maximi aestimabant Romani, vel iuvene dignam \*\*), dignissimamque sapiente, cuius industriam doctrinae gyro minime circumscribendam esse philosophus Tusculanus declaravit. Similis fere summa est prooemii libri *Ciceronis de republica* primi, nuperrime ab Angelo Maio in lucem editi. „Neque enim est ulla res, in qua propius ad deorum numen virtus accedat humana, quam civitates, aut condere novas, aut conservare iam conditas.“ Cp. VII. — Cum eloquentia philosophiam coniungebant, summopere cultam, veteris illam academiae et Zenonis, imprimis bonae frugis homines, quippe qua, qui de quaque re accurate copiose et graviter disputare vellent et perorare, minime possent carere, in cuiusque portum, exortis civitati turbis, se conferrent. Quarum rerum coniunctione est effectum, ut tot et tanti extiterint oratores, qui et subtiliter disputandi et docendi laude et graviter et subito agendi excelluerint. Cuius rei eximium de Galba exemplum a Cicerone in medium est prolatum \*\*\*). Quam facultatem, oratoribus Anglorum exceptis, postea, non dicam, interiisse, sed nunquam viguisse est fatendum, eandemque in scholis philosophorum, ut saepius sunt hodie, spinosis et confusis deprimi magis, obtundi et minui, quam excoli, acui et augeri, valde est dolendum.

Die autem sumendae togae virilis, religiosissime celebrato, auspiciati vitam civilem iuvenes sunt moniti, in posterum ut dignos se gererent nomine Quiritium. Cuius horae momento quid potuit esse maius et sanctius, quid gravius ad mentem eorum, qui communi societati adscripti esse coepissent, initiandam sacrosancto reipublicae foederi et erga patriam pietate confirmandam! Stipati civium amicorumque caterva in forum ingressi intuebantur arcem omnium terrarum, conspiciebant templa et rostra ceterasque sedes maiestatis populi Romani, et inter preces et sacrificia patriae se suaque omnia devovebant. Eadem aetate, qua sui iuris esse inciperent, etiam militiae accingebantur, cui Romani sanguinis nemo unquam deesse deberet.

\*) Gellii noct. Att. X, 1.

\*\*) Horat. Od. IV, 1, 14 et pro sollicitis non tacitus reis! —

\*\*\*) Brut. cp. 22.



deberet. Petere enim duntaxat magistratum poterant, qui dena stipendia tolerassent. Nam et belli suam esse vim et virtutem, creditum est, cuius periculis fortiter perfuncti ad pacis officia transire possent alacriores. Quapropter Hortensium et Ciceronem, adhuc adolescentulos, bello Italico castra secutos esse narratur. Ex armorum crepitu et tumultu reversi iuvenes in seniorum studuerunt praestantissimorum familiaritatem venire, quorum a latere non discederent, ut ab eorundem ore pendentes eloquentiam et ius civile animo haurirent. Itaque, uti in philosophorum, in Socratis inprimis et Platonis lectissima Atheniensium iuventus, sic apud Romanos in oratorum consuetudinem iurisque peritissimorum civilis, sic in Q. Mucii Scaevolae Cicero, in Ciceronis autem se insinuare, quicumque foro parabantur et eloquentiae, veramque e republica gloriam consequi vellent \*).

Mittimus Caesarum tempora illa, quibus e libris magis, quam in iudiciis et concionibus ius cognosceretur, eiusque disciplina publice traderetur in scholis, unde ista institutionum, et, quae dicuntur, pandectarum dira illuvies fluxit, qua ad hunc usque diem nostrorum iudicum et patronorum rabularumque mentes ita saepe obrutas videmus, ut ex ea emergere vix valeant. Ceterum in magistratibus eligendis nulla fuit aetatis habita ratio ab antiquissima republica, qua ad insignem quamque dignitatem evehi posset, qui singulari virtute excelleret iuvenis, nec expectandum foret, donec animi vigor ille consenesceret cum ipso corpore \*\*).

Iam vero religio publice recepta cum machinae instar haberetur rei publicae ministra, paullatim adolescentes callida illa consilia, quae in rebus moderandis sequerentur optimates, penitus perspicere incipiebant. Maximam autem vim augurum fuisse atque auspiciozum, sine quarum praestigiis astutisque anfractibus nec bello nec pace quidquam molirentur civitatis rectores, et aperte et latenter innuunt, qui de rebus Romanis scripserunt. Res omnino non omnis labis expers, at ex populi natura et conditione potius, quam ex nostri aevi sententia et moribus diiudicanda. Qua enim gloriati sunt virtute Quirites, ea saepe magis ex civilis prudentiae legibus, quam ex genuino communis iuris et humanitatis sensu originem duxit.

Praeterea neque, quae sunt itinera faciendi commoda, ad ingenia multifarie polienda, neglecta fuerunt. Multas enim terrarum cognitarum regiones lustrasse iuvenes legimus, easque inprimis Graeciae urbes, quae literis artibusque florent et unde utilissimarum rerum cognitione redirent ditati.

\*) Plura de hac re auctor dial. de causis corruptae eloquentiae cp. 34.

\*\*) cf. Machiavelli disp. I, 60.

At eosdem *non ad discendum solum, sed ad agendum* quoque institutos fuisse, ex variis rerum vestigiis patet. Quapropter ad Ciceronis usque tempora in aliquo honore fuit agrorum cultura, cuius laudes ille repetitas ab istis inde temporibus, quibus ab aratro arcesserentur consules creati, celebravit\*). Fabiorum et Lentulorum gentes atque Pisonum ex terrae frugibus sunt nominatae. Mercaturam autem ne quis, e patriciorum familiis ortus, faceret ipse, lege Claudia cautum fuit. Lex sane admodum salutaris nobilium iuventuti, Romanoque nomini honorificentissima. Idem ille Romanae gloriae princeps, ut firmis filium instrueret praeceptis, aetate proveciori egregium illum librum scripsit, ex quo ille, velut e locuplete penu, colligere posset, quae in quaque vitae publicae et privatae parte, in forensibus rebus aequae atque in domesticis, colenda sint officia, et quando cum honesto utile, quod esse putant, pugnare videatur. Quem librum etiam hodie, qui publicae utilitati prodesse et ampliorum curam provinciarum capessere voluerint, manu diurna versasse iuvabit. Quin et idem laborem et industriam tenera aetate filiolo sedulo commendavit, ne forte sibi patrem iam peperisse potius honores, quam iter demonstrasse adipiscendorum putaret. Ego vero, ait ipse\*\*), quamquam illi omnia malo, quam mihi, tamen illi honorum aditus nunquam faciliores optavi, quam mihi fuerunt. — Verba praeclarissima, ubicunque periculum est, ne obtenta iura cognitionis ad pravam ducant consuetudinem, haud ulla virtute ornatos ornandi beneficiis, etiam atque etiam et semper semperque redintegrandi!

Sed bona eiusmodi disciplina, una cum morum corruptela latius grassata postea in peius ita est versa, ut iam Cicero hasce funderet querelas: „Haec genera virtutum (Camillorum nempe, Fabriciorum, Curionum) non solum in moribus nostris, sed vix iam in libris reperiuntur. Chartae quoque, quae illam pristinam severitatem continebant, obsoleverunt“\*\*\*). Haud secus atque ille de adolescentulorum parvo, qui optimae spei essent, numero auctor dialogi de oratoribus †), et de expectatione, quam rhetorum scholae commoverent, iudicavit, ut quae optimorum ducum, iudicum, senatorum seminaria esse deberent ubi; non facile se dicere posse confitetur, utrumne locus ipse, an condiscipuli, an genus studiorum plus mali ingeniis afferant.

---

\*) pro Rosc. Amer. cp. 18.

\*\*) or. pr. Plancio cp. 24.

\*\*\*) Pro Coelio, 17.

†) de causis corruptae eloquentiae cp. 35.

Atqui neque domestica disciplina, neque schola solum pristinis illis virtutibus insignibusque reipublicae tuendae facultatibus ornavissent Romanam iuventutem et Graecam, nisi forte alia rei adiumenta ab utriusque gentis legibus institutis moribusque accessissent. In cassum enim ibi certam illam discendi et docendi formam ad certam artis normam ordinatam dispicere coneris, quam usu virorumque auctoritate doctorum, imprimis inde ab instauratis literis, sub humanismi, quem vocant, specie et nomine in recentiorum gymnasiis et academiis usurpatam habemus et excultam, quippe quibus Graecia et Roma facem praetulerunt. Sed multis modis compensata sunt ista, si quae fuerunt, damna illi aetati, in qua natura magis et vitae quotidianae consuetudo, quam artis praecepta pollerent.

Iam vero quod in *aperta luce* posita fuerunt, quae ad hunc finem pertinerent, futurorum civitatis gubernatorum usui conduxit, qui, quid bonum sit aut malum, quae contemnenda, quaeve probanda et plurimi aestimanda, sermonum et actionum commercio exemplorumque magisterio aptius saepe quam ipsorum, quibus id genus mandari solitum est, interpretum ope ac doctorum inciperent diiudicare, et, in magna semper celebritate viventes, veram leges publicamque salutem tuendi rationem, et, idem velle, idem nolle, id demum firmissimum eius vinculum esse, quotidie discerent.

Quocirca etiam Lacedaemoniorum syssitia et *ἑστιάσεις*, seu *φυλετικά δείπνα* Atheniensium \*), aequalitatis fraternae, caritatis patriae, mutuaeque fidei ferebant consociationem, iuvenili menti apprime salutarem. Ad illa enim, auctore Plutarcho \*\*), pueri etiam tanquam ad ludum, in quo disceretur temperantia, adducebantur: sed audiebantur quoque sermones de republica. Quod autem de Platonis aliquo convivio, habito in academia, dictum est: ejusmodi convivia non ipso tantum celebrationis die, sed postero quoque placere: eadem laus sine dubio Atheniensium pluribus debetur \*\*\*).

Quid, quod vel in ludis Graecorum publicis cujusvis virtutis consummationi suus fuit locus atque aemulationi! Ibi cum non corporis modo, sed mentis quoque virtutes insignes et opera meritis laudibus prosequeretur populus; ejusdem in conspectum quicumque magnanimi venissent, laeta acclamatione sunt celebrati. Nam quali et quanta in Olympia Themistoclem legimus exceptum admiratione, ita ut se suorum fructum laborum, quos pro Graecia pertulisset, eodem die perce-

\*) cf. Boeckh's Staatsh. d. Athen. I, 499.

\*\*) Plutarchus in Lycurgo XX.

\*\*\*) Atheniensische Briefe von F. Jacobs Thl. I, S. 22.

pisse, amicis confiteretur! Quove honore ibidem ornatum Platonem, in quem, cum in stadium venisset, nulla fere decertantium habita ratione, omnium oculi conversi fuerunt nomine ejus nominato inter laetos clamores! Quid magis pectora potuit inflammare, in quibus vel aliquid virtutis aut animi quidquam et nervorum esset!

Cujus rei ratio longe alia fuit apud Romanos, ex quorum ludis, quibus illi incredibiliter sunt oblectati, peculiarem populi indolem optime cognoscere licet. Quem enim servorum aut bestiarum, sese invicem dilanantium, juvat adspectus, ejus naturam sane ab humanitatis et mansuetudinis sensu abhorrere facile opineris. Scilicet, ubi cruentae gladiatorum pugnae et caedes tanquam jucundissima populo oblata sunt spectacula, ibi nec Pindarus quisquam nec Herodotus coronam invenit, pronis auribus animisque audita accipientem; minusque loci et otii relictum est bonorum et magnorum civium admirationi.

Neque ludorum scenicorum memoria praetermittenda esse videtur, qui tamen nobiliores in Graecia fuerunt et honestiores. Ibi enim florentissima libertatis aetate cujusvis generis laudes audita in scenis, itidemque vitiorum labe et ignominia dicacitatis salibus exagitatae sunt et facetiarum. Quam rem et Plato divinis probavit, dicens \*);

Ἄνευ γὰρ γελοίων τὰ σπουδαῖα, καὶ πάντων τῶν ἐναντίων τὰ ἐναντία, μαθεῖν μὲν οὐ δυνατὸν, εἰ μέλλει τις φρόνιμος ἔσεσθαι.

Interdum autem ex gentis historia electa fuit fabularum materia, vel quae temporum rerumque civilium statui esset accommodata, quarum ex numero exemplo esse possunt Aeschyli Persae. Cumque artis comicae ea propria sit ratio, ut oculis proxima quaeque in communem fructum convertat; comoedia vetus in exponenda publica civitatis conditione et tangenda, et in iis rebus omnino, quae ad institutionem vitae spectarent, est versata. Quod utilissimum fuisse, cunctisque comoediae Aristophanicae stimulis juvenilia quoque ingenia excitata, quis est, qui non videat! Sive aves, sive ranulae loquerentur, sive examina vesparum: fructuosi semper quidpiam ex earum ore in auscultantium aures et mentes redundavit. Quid, quod in Nubibus sapientium sui aevi sapientissimus eo tantum consilio in medium productus fuisse videtur, ut maxima detrimenta illa, quae ex perversa et prava orta essent juventutis disciplina, spectatorum oculis subjicerentur! Cujus veteris comoediae et liberae, cum in licentiae vitium excidisset, sublatae commoda haud admo-

\*) Plato de legibus p. 378 ed. Bip.

dum potuit compensare nec mediae nec novae natura. Neque vero Romanorum poëtae hoc nomine sunt contemnendi, qui domestica celebrarunt, et praetextas fabulas docendo et togatas, neque sane Naevii fabulas, neque Plautinos sales et acrimoniam, neque Terentii facetias surdis auribus hebetive ingenio exceptas esse, credere licet. Sed laetissima quoque exclamatione in theatris, in populi conspectum si venissent, viris saepe applausum est meritissimis, debitaque manifestata virtutis admiratio; quare et ibidem multifariae laudis patefacta via fuit aemulationi. Quis dubitat, quin una cum seniorum et juvenum oculi in Aristidem fuerint conversi, cum in scena praeclarissima illa Aeschylea recitarentur:

*Οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θελει \**.

Accessit, quod ob vim suam incredibilem permagni est aestimandum, ut, quae ad rempublicam pertinerent, etiam publice et in foris agerentur, vitaeque veterum universa ita fuerit ordinata, ut cum omnibus omnium semper fere quaedam aperta esset societas. Etenim ut viri existant vere magni et insignes, multum sane et plurimum civitatum leges et instituta efficere possunt. Ubicunque enim honori licet elucere, ubi labores corporis animique contentiones sua praemia, veritatem victoria, suaeque virtutes manent ornamenta, omnibusque viribus campi, in quibus exercentur, patent latiores: ibi etiam omni tempore facile optima quaevis et splendida ingenia adolescent. Quorum inopiam quae respublica fuerit conquesta et deploraverit, ea ipsa ob inertiam, qua oppressa sit, insanabilemque stuporem est deploranda. Cuius pestis expertes ex tot externis internisque periculis et pugnis et Graeci et Romani superiores discessere et victores.

Proinde quod de iure gentium et privatorum, de rei publicae salute, de pace et bello, haud occlusis foribus, sed sub dio plerumque, in concionibus omnium ordinum multitudine agerent veteres ac paciscerentur, et in eiusmodi actionibus, ne elingues esse viderentur, scribarum minus quam oratorum officiis uterentur; hoc potissimum vel plurimum fecit ad puerorum iuvenumque animos in communem utilitatem excolendos et inflammandos patriae amore. In foris enim a teneris inde auscultantium pectora rerum publicarum delectatione sunt impleta, occursumque est torpori isti et negligentiae, quae saepe est inter nostros, a felicitatis communis societate plane alienatae, quantumque de singulis iudicium omnium valeret, est patefactum. Cuius praestantiae laudem concionum deliberationibus iam vatum parens tribuit, qui laudata Cyclopium terra omnium rerum fertilissima, haec tamen addit:

\*) Plutarch. Aristid. VII.

Τοῖσιν δ' οὐτ' ἀγοραὶ βουλευφόροι, οὔτε Δέμιστες. \*)

Quae enim civium cognitione digna essent et consideratione publiceque pronuntianda; actis diurnis senatusque commentariis, vel ita, ut nostrae aetati satisfieri placet, libellis et ephemeridibus, saepissime mendacibus, excusis et in vulgus editis, minus quam vivae vocis et sermonum actionumque ope sunt communicata. Quare etiam, ut salutem communem reputandi occasio universo populo daretur, leges rogandae per trinundinum Romae a praecone et postea edicto, Athenis autem πρόσθεν τῶν Ἐπωνύμων promulgabantur. Τοῦτον δὲ (die Bill) νόμον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀναγινώσκειν, ἵνα ἕκαστος ὑμῶν ἀκούσας πολλάκις, καὶ κατὰ σχολὴν σκεψάμενος, εἰ ἂν ἢ καὶ δίκαια καὶ συμφέροντα, ταῦτα νομοθετῆ (\*\*): ut etiam hodie apud senatum populumque Britannicum fieri solet. Absconditam enim et occultam illam, in conclavibus agendi omnia moderandique rationem veteres libera indignam republica habuerunt. Quo factum est, ut forense genus dicendi apud utramque nationem mirum in modum floreret, etiam puerorum mente ad imitationem excitata et aemulationem, ut, quae audivissent omnique laude vidissent ornata, exprimere dicendo cuperent omnemque literarum scientiam et loquendi elegantiam ad istud negotium conferendam putarent. Sic Themistoclem, adhuc puerum, magnorum rerum civiliumque studiosum fuisse, et ubi a discendo vacaret, non ludicris oblectatum, sed orationes secum aliquas, auditarum ἐν ἀγορᾷ similes, quibus sodales vel accusaret vel defenderet, meditatam esse et composuisse, proditum est memoriae (\*\*). Demosthenes quoque ad audiendam Callistrati praeclaram orationem a paedagogo adductus et admiratus facundiae vim, omnia regere et subigere valentis, vidensque oratorem a multitudine deduci et felicem praedicari, gloriam viri aemulari coepit †). Simili ratione hodie quoque in Anglia pueri iurata formare iudicia solent, et in agendo et in perorando exercitari, patrum consuetudines et rei publicae exemplar, ante oculos positum, imitantes. Multa sane auribus animisque attentis, in hominum coetu et celebritate, brevissima via ab antiquitate percepta sunt memoriaeque mandata, quae nunc haud sine magno labore et contentione longisve anfractibus inveniuntur et discuntur. Quare neque a suo alienum duxit consilio Cornelius Nepos ††), in enumerandis Epami-

\*) Odyss. IX, 112.

\*\*) Demosthen. in Leptin. §. 75.

\*\*\*) Plutarch. in Themist. II.

†) Plutarch. in Demosth. VII.

††) cp. III,

nondae virtutibus commemorare, audiendi eum studiosum fuisse, cum ex hoc facillime disci arbitraretur. Itaque cum in circulum venisset, in quo aut de republica disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur, nunquam inde prius discessit, quam ad finem sermo esset adductus. Qui veterum mos et nostrorum maiorum hodie in nostris circulis, sermunculis saepe huc illuc vagari et certis vestigiis nunquam insistere amantibus, plane exolescere videtur! — Sapienter et Plato \*) monet, ut volentes bonis in artibus proficere sint φιλομαθεῖς, φιλήκοοι καὶ ζητητικοί.

Neque hoc loco silentio est praetereundum, extare circulorum vestigia seu societatum, quae, vigentes in Graecia et praecipue Athenis sua quaeque ad rem publicam bene administrandam et conservandam conferrent, ἐταιρείαι dictae et ξυνωμοσίαι \*\*) (politische Klubs) quibus, quorum curae securitatis publicae disciplina fuit commissa, haud adversati esse videtur. Ad quas etiam iuvenes esse admissos, ut, quae rei publicae salubriores essent sententiae, ex sapientiorum colloquiis perciperent, veri non est absimile, cum et ephebis apud Athenienses, quamvis non concessio suffragio, concionibus interesse liceret. Ex iisdem coetibus fortasse prognatae sunt ἐταιρείαι recentiorum Graecorum et φιλελληνικῶν, quorum consiliis consociatis humanitatis matrem et libertatis, a barbaris Asiaticis extinctam paene et deletam, e mortuis in vitam revocatum iri, quicumque hominum felicitate laetantur, sperabant. — Utinam acerba Nemesis, scelerum ultrix, tandem aliquando esse iis velit propitia vindex!

Veruntamen libertas ipsa atque, quod omnibus aequum fuit, ius et consuetudo, quavis occasione liberam vocem aperte emittendi, pulcherrimis in rebus pulcherrime adiuverunt: quae ubi evanuerunt, ibi virtutem ipsam abiici hominumque deprimi ingenia et comminui, iam nobilis ille arbitratus est subulcus: \*\*\*)

Ἡμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρυόπα Ζεὺς

Ἄνερος, εὖτ' ἂν μιν κατὰ δούλιον ἡμᾶρ ἔλησιν.

Est autem virtutis pariter parens libertas atque eloquentiae. Huic omnino excolendae et conservandae in grammaticorum scholis rhetorumque multum operae est navatum, tironibusque, qui artis bene et ornate subitoque dicendi compotes fieri vellent, ita ut ex tempore dicta scriptorum similia esse viderentur, multiplex scri-

\*) de republica VII.

\*\*) Thucyd. VIII, 54. vergl. Tittmann Darstellung der Griechischen Staatsverfassungen, S. 34.

\*\*\*) Odyss. XVII, v. 322, 323.

ptitandi exercitatio commendata \*). Sed vanae illae omnes sermonis pulegiorum commendationes fuissent dicendive exercitationes, nisi apta iis area patuisset in vita quotidiana, quod apud recentiores plerumque desiderari, vel ipsi eloquentiae magistri, in formanda iuvenum voce et mente operam saepe et oleum perdentes, merito dolent. Tanta calamorum petulantia tantusque scriptitandi furor invaluit; tantum singulorum libido, maximam rerum partem, quas cognoscere et audire magnopere interest fere omnium, in arcanis habendi, potuit suadere malorum! Invaluerunt cohortes scribarum, quorum misellam futilitatem et insolentiam facetiis suis tetigisse, iam Flaccum pluries iuivit, quanquam ipse breve per tempus istorum decuriis adscriptus fuisset. Apud Romanos scribae interdum etiam cum lictoribus numerantur inter apparitores magistratum. Et apud Graecos verbum ὑπηρετεῖν solenne ubique de scribis \*\*).

Nimirum vehementer infringi memoriae vim arte scribendi, quis est, qui non videat, cum, literulis confisi, magis quam illius firmitati adolescentuli intendere vim insitam recusent. Quo efficitur, posthac ut saepe nihil nisi legendo in medium proferre audeant. Itaque iam Caesar, qui Druidum disciplinam perscripsit, memoriae facultatem iuste aestimavit. Cum enim apud illos non fas esset, quae didicissent iuvenes, literis mandari; id eos instituisse opinatur, ne discentes minus memoriae studerent †). Quod fere plerisque, idem ille addit, accidere solere, ut praesidio literarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. Tantum enim scimus, quantum memoria tenemus. Sane vero, ex quo immoderata ista legendi et literis quaevis consignandi et proferendi studia late serpserunt, in utramque partem de rebus disputandi facultas praesenti sermone ac profluens illa et expedita dicendi celeritas rarescere coeperunt. Etenim eadem ex antiquitatis studiis, recentioribus sedulo recultis, exigua cepisse incrementa videntur, critica ars et grammatica disciplina cum iudicium quidem forment et fingant, sed a prompte disserendo magis revocent, quam illa ipsa dicendi alacritate valeant ornare ††). A cuius rei culpa et academiarum nostrarum instituta minime vacant, ubi multa et innumera audire iuvenes calamisque excipere consuerunt, ad cogitandum vero haud satis, verbisque idoneis pronuntiandum, quo incaluerit animi, ra-

rius

\*) cf. ex multis Cicero de orat. I, 33.

\*\*) Wolf in Leptin. p. 384.

†) de bello Gall. VI, 14.

††) cf. Boeckhii v. cl. oratio natal. quinquages. tert. Friderici Guilelmi III p. 7.



rius incitantur. Quid mirum, si nostra aetate magna pars ad officia publica admissorum vulgarem viam secuti, perlato ad eos actionum publice instituendarum rumore, quibus introductis, quidquid ius et fas est, quaeque scire interest bonorum omnium, in conclavibus scriptoriis recondita delitescere desinent, imperitiae conscientia animique debilitatis novum perhorruerint morem! Ita sane operi, a scholis inchoato plerumque, parum diligenter academiae nostrae fastigium imponere pergunt. Praeterea neque ulla fere huius rei in examinibus, quibus se ad munera publica adspirantes offerre debent, ratio habetur. Quae enim studia pertinent ad humanitatem, quibusque in succum et sanguinem versis ad eloquentiam multiplicem et ad fidem satis certam in rebus administrandis probandam nihil aptius est nihilque uberius; eadem ab iis, simulac provinciae traditae curam susceperunt, paene oblivioni dari videntur, ita ut eiusmodi ex adolescentulis non ordo virorum, qui libero animo et constanti publicam curent salutem, sed opificum corpus, quidquid agant et peragere negligant, utilitate metientium, non honesto, in dies crescat.

Sed redeamus ad antiquam civitatum temperationem, in qua istud maxime salutiferum fuit, quod optimo cuivis atque iuveni, vel humili loco nato, summum honoris gradum consequi liceret. Ad quem ne privilegiorum vel sola haereditatis praetexta pervenirent singuli, firmissimis legibus cautum erat. Sic de roganda decernendaque in comitiis civitate accuratissimae legum praescriptiones e Demosthene \*) cognoscuntur. Neque quenquam enim licuit in civium numerum adscribi, nisi qui virtute et meritis in rempublicam dignum se civitate praestitisset: binisque in comitiis rogari populum Atheniensium de civitate danda oportuit. Quanquam multa in istis veterum institutis fuisse deprehensa, quae concordiae omnium et quieti fraudi forent, nemo iustus rerum aestimator infitias eat. Nam tantum populare et Athenis et Romae imperium procedente tempore crevit, ut omni optimorum auctoritate sublata immoderata illa plebis ambitiosorumque hominum dominatio tyrannidi quam libertati similior ipsa sua sese vehementia labefactaret et subrueret, atque postremo una clade percussam rempublicam hostium iugum subire cogeret. Quae ibi discordiae civiles, quae rixae sempiternae, quae irae inter cives acerbissimae, quanta vexationes, quae turbae comitiorum, quae factiones plebeiorum, quae insolentia τῶν εὐπατριδῶν, quae infestissimae insectationes! Summo enim studio et ardore cum contenderent omnes, ut iuris et dignitatum omniumque bonorum aequabilitate fruerentur; deleta est aequitas ipsa,

\*) vel quisquis est, qui orationem in Neaeram scripsit, ed. Reisk. p. 1375.

exorti saepe sunt populi moderatores (*δημαγωγοί*) ambitionis pleni, qui suis ipsorum inservientes commodis, obcaecatam multitudinem in tanta illa rerum discrimina raperent, quibus plane omnia miscerentur, optimique cives patria expellerentur mera suspicione. An non Aristidis iustissimi mortalium aliorumque civium optime de patria meritorum relegatio, Scipionisve Africani minoris sors, non sine magna suspicione ab inimicis plebeiis, quos reprobatis legibus agrariis irritaverat, interemti veneno; an non Q. Caecili Metelli Numidici, viri egregii, exilium aliorumque fata monent multorum, praeclarissimas quasque veterum consuetudines a nobis non ultra, quam fas est, extolli debere \*). Audiatur Tullius, qui non comitiis, ait, iudicare semper populum, sed moveri plerumque gratia; cedere precibus, facere eos, a quibus sit maxime ambitus: esse enim hanc conditionem liberorum populorum et praecipue principis populi Romani et omnium gentium domini ac victoris, posse suffragiis vel dare, vel detrahere, quod velit, cuique; quique honores expetant, semper in hac tempestate populi ac fluctibus iactari! \*\*) Idem de populo Horatius †)

— — — qui stultus honores

Saepe dat indignis et famae servit ineptus.

Cuius morbi malignitas non nisi si *uni* eidemque sapientissimo et iustissimo, civitatemque bene constitutam certis legibus moderanti, summa rerum sit permissa, sanari posse videtur.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. ††)

Qua de causa iuvenum mentem, a teneris inde, sancta legum verecundia impleri veteres voluerunt, ut, accessuri ad rempublicam vitae integri essent scelerisque puri. Itaque Athenis, ubi penes Areopagum morum magisterium fuit, qui sustentare negligeret parentes, quive patrimonium profudisset vel incesta esset passus; ad munera publica non modo non est admissus, sed adeo potestate orbatus, sententiam dicendi in concione. Sic etiam Sparta, cum Demosthenes quidam, homo ingenio

\*) Memorabile quoque F. A. Wolfius de liberae Atheniensium civitatis conditione iudicium tulit. Commemoratis enim incommodis magnis ex liturgiarum descriptione profectis, factionumque inimicitias: „— Quis illa, ait, non pervideat? Sane omnino si haec et alia cognita haberent ii, qui hodie saepe bellis declamationibus beatam libertatem antiquarum civitatum desiderant, nae illi, puto, tali votorum temeritate abstinerent.“ *Adv. Leptin. Prolegom.* CXXV. cf. G. F. Schoemann de comitiis Atheniensium II, 339.

\*\*) Or. pr. Plancio cp. IV.

†) Sat. I, 6, 15. 16.

††) cf. *Cic. de republ.* I, 38. „In republica si in plures translata res sit, intelligi iam licet, nullum fore, quod praesit, imperium, quod quidem, nisi *unum* sit, esse nullum potest. cf. cp. 42, 43.

aeque ac vitiis insignis sententiam satis commodam dixisset, eandem populo reiectam ephori senum cuidam mandarunt dicendam, tanquam ex sordido vase in sincerum infundentes \*). Neque plane irrita fuit apud Romanos censorum gravitas, quorum dignitatem omnium honorum apicem appellat Plutarchus (in Cat. Maj.), quaeque et in filiorum animis, patres et senatores equitesque censoriae subiectos animadversioni videntium, in omnem vitam multum polleret, necesse fuit, eosque satis edocuit, non nisi *bonis aditum ad honores* a patria dari.

Quorum in cursu, priusquam optatam contingeret metam, difficultates insuper aliae multae apud Athenienses et Romanos candidatis vincendae fuerunt. Etenim ex Solonis legibus homines tenui censu et egeni regere civitatem non poterant, cuius moderandae iis tantum, qui ob rem familiarem relati essent in classes ditiorum, fieret potestas. Nam omnium rerum inopia pressos, bonaque educatione carentes et institutione, salutis communis causas et finem prorsus perspicere et intentius curare non posse, ille se habuit persuasum. Neque ullus ex muneribus demandatis redire debebat fructus, nisi quem populi iudicium donasset, neque quisquam capesseré honores, nisi a libero totius populi arbitrio delectus, et ingenio, opibus studioque reipublicae insignis ac pietate. Eiusdem vero consuetudinis nonnulla fuerunt antiquata, ex quo Clisthenis auctoritate in republica rerum commutatio est insecuta. Nam in aequabili civium iure magistratus atque imperia sortitione mandari et casu placuit. Sed in certis muneribus deferendis vetus censendi mos ad bella Persica usque fuit servatus, quo tempore Aristides censum in suscipiendis muneribus habitum, parvo discrimine abolevit. Quo factum est, ut, quibuscunque illa essent committenda, vel sortito capesserent, vel rite creati. Verum tamen, ne caeco sortium arbitrio permitterentur omnia, futuri civitatis rectores *accuratissime sunt explorati* \*\*). Quod diligentissime factum esse severamque candidatis *δοκιμασίαν* apud Athenienses subeundam fuisse etiam Isocrates docuit: — οὐκ ἐξ ἀπάντων τὰς ἀρχὰς κληροῦντες, ἀλλὰ τοὺς βελτίους καὶ τοὺς ἰκανωτάτους ἐφ' ἑκάστον τῶν ἔργων προκρίναντες †). Et Lycurgus ap. Harpocrat. v. *δοκιμασθεῖς*: Τρεῖς δοκιμασίαι κατὰ τὸν νόμον γίνονται· μία μὲν, ἣν οἱ ἐννέα ἀρχόντες δοκιμάζονται· ἑτέρα δὲ, ἣν οἱ ῥήτορες· τρίτη δὲ, ἣν οἱ στρατηγοί ††). Accesssit, quod deposito magistratu, eiusdem gesti rationes ac-

\*) *Plutarchi* praecepta gerend. reipubl. c. IV. Plura exempla collegit Tittmannus l. l. p. 21 etc.

\*\*\*) cf. *Hermes* seu *annal. lit. crit.* 1824. XIII, p. 109. et sq.

†) *Isocrat. Areopagit.* p. 340. ed. Hieron. Wolf.

††) Wolf in *Leptineam* p. 308.

curatissimae apud populum fuerunt reddendae: quam legem utpote praeclarum libertatis munimentum omnes civitates bene constitutae sequendam putarunt.

Similiter se res habuit apud veteres Romanos, quibus iuvenes non ante reipublicae gubernacula tractare placuit, quam ad iustam pervenissent aetatis maturitatem, ut senatores revera essent seniores ex populo, ac iure patres nominari possent. In quibus eligendis et locus et opes pensi quidem sunt habiti, attamen senatoria dignitate nemo, triginta annis minor, ornatus fuisse videtur. Hac enim aetate demum legitima quaesturam gerere licuit, quo magistratu primum via in senatum pateret. Et iam ante Villium leges annales extitisse, quibus decretum esset, quo anno cuique petere magistratus liceret, ex Livio colligi potest \*). Accuratus autem ille eas tulit primus, unde cognomen, Annalis, familiae est inditum. Qua re, perspicuum est declarare populum voluisse, optimam vitae ducem ac magistrum prudentiae atque officiorum *experientiam esse*, animique moderationem, quae non sit puerorum imberbium et nasutulorum, neque ulla re magis, quam imprudentia, nimia festinatione et intemperie in rempublicam peccari! Quare Cicero quoque (de senectute, cp. VI.) Catonem ita loquentem induxit: „Quodsi legere aut audire voletis externa, maximas res publicas ab adolescentulis labefactas, a senibus sustentatas et restitutas reperietis. Cedo, qui vestram rem publicam tantam amisistis tam cito? Proveniebant oratores novi stulti adolescentuli. Temeritas est videlicet florentis aetatis, prudentia senescentis.“

De *mysteriis* etiam quaeri potest, num ad praeparandam mentem eorum, qui civitatem moderarentur vel essent moderaturi, ipsorum sacra sint adhibita. Sed nihil certi de hac re edisseri posse videtur, cum modo hoc pro comperto habeamus, mentem initiatorum, ut in Phaedone ait Plato, ex agresti immanique vita iis excultam fuisse ad humanitatem, deque principali sua integritate et conditione post mortem futura edoctam. Quae egregia disciplina virtute sua peculiari cum admissorum pectora impleret, quorum magna pars iam publicis commodis serviret, vel in posterum esset servitura: cur non eandem quoque ad animos sapientia civili optimisque praeceptis imbuendos tantum valuisse credamus, ut ex templorum adytis saluberrimi in vitam publicam fontes emanarent. Certe, quod Cicero ipse iis fuit initiatus, eorumque cum tanta laude meminit, id eorundem usum et excellentiam satis testatur.

Certissimis vero testimoniis mirabilis, quam ex *philosophia* adolescentium indoles cepit, utilitas est comprobata. Haec una enim omni tempore omnium,

---

\*) Livii l. XXV, 2.

quibus humanae res et divinae curae essent cordique, lux et genuina nutrix esse visa est. Neque prorsus illum ipsum alium esse posse, qui philosophia et literis sit eruditus, ac qui rerum civilium prudens habeatur, particepsque sit factus, apud veteres obtinuit opinio; quippe qui non, ut hodie interdum fieri solet, speciem modo studii veritatis et libertatis aequè affectarent, sed ad easdem fovendas et confirmandas omnem operam contulerunt. Quae voluntates ex omnibus philosophorum disciplinis elucent, easque in Platonis et Xenophontis aequè atque in Ciceronis scriptis legimus expressas.

Quamquam cum hoc demum novus quidam sol exortus Romanis, haud ita multo post servitutis caligine ac nebulis est obscuratus. Attamen libertas omnino iamdiu e civitatum finibus expulsa, multa per saecula in philosophorum scholis quietam sedem invenit. Graiorum autem lumina, quibus prae ceteris gentibus faciem suam praetulit philosophia, ad nostram inde aetatem claruerunt. Veruntamen non tam scriptis, quam ore et sermone praesenti quotidianaque consuetudine sapientes ibi erudiebant iuventutem, quae ex omnibus terrarum regionibus ad eos confluebat. Sic Xanthippi filius, qui sine principis nomine et titulo principatum tenuit Athenis, Anaxagorae et Zenonis Eleatae institutione et familiaritate est usus; similique ratione Alcibiadem, Thucydidem, Epaminondam alumnosque alios multos in hortis suis philosophia aluit et firmavit. Quod vero in eiusdem patria ad Socratis obitum usque *Sophistae*, ostentationis causa philosophati et quaestus, viguerint, perniciosissimoque disputandi genere saepe animos perverterint iuvenum, non est, quod mireris. Primis enim tunc artium et doctrinae factis initiis, nequedum prodierant, qui accuratissime disputarent de rebus humanis atque divinis omnibus. Accessit, quod liberae civitates liberae cuivis, etiam perversae, mentis agitationi locum aperirent.

Ipse autem sapientiae civilis et eloquentiae princeps apud Romanos, quid Academiae et Stoicorum placitis debuerit, pluries est confessus. Quare meritas a Cornelio \*) assecutus est laudes, qui eius prudentiam quodammodo fuisse divinationem, futurasque res eum cecinisse ut vatem praedicat. Eidem aliquo modo Seneca haud integritate quidem, sed ingenio ac sapientia est comparandus. Ille enim ipse fuit, qui priori Neronis lustro feliciter regeret orbem, qua laude eum historia, iusta temporum testis, commendavit. Domitiano vero imperante cum Epictetus aliique philosophi Roma eiicerentur, gravissimo hoc fuit indicio, non amplius in re publica desiderari, qui de summo bono et de libertate, pariter im-

\*) in vita Attici c. XVI.

peratoribus ac civibus aequa, deque conditionibus, quibus vera salus societatis hominum continetur, secum meditati ad rempublicam adirent. Iamdudum animi illa altitudo ac praeclara virtus, quali Agricola conspicuus fuit, ex immani ista vitiorum illuvie raro emergerant.

Praeterea, quoniam *res sacrae* apud veteres reipublicae administrationi fuerunt admistae, vel inde quis et iuvenes, iisdem olim usuros, earum cognitione mature et diligenter imbutos esse suspicetur. At hoc Graecis minus consuetum fuisse videtur. Sustentati quidem publice Athenis sunt in prytaneo portentorum interpretes, ex avium volatu victimarumque extis divinantes sortes futuras et voluntatem divinam: iuventutem vero, quod sciamus, nusquam legitur ea arte esse initiatam. Ceterum tenacissimos fuisse disciplinae religionis, a maioribus traditae, Athenienses satis constat, et supremo Socratis supplicio est comprobatum. Romae vero religiones arctiori vinculo coniunctae fuerunt cum consiliis, quae summi magistratus in rebus moderandis sequerentur, et fere nimium in cumulandis augurum auctoritatis laudibus sibi placet Cicero \*), qui ceteroquin, ut scriptorum veterum plures fictam deorum naturam inferorumque poenas libere deridet. Certe iam tum appropinquaverat tempus, quo augurum alter alteri non obviam fieri posset, quin risum teneret. Nihilominus perfectissimam Marcus in diis colendis sanctitatem vel potissimum superstitionem commendat \*\*), utpote penitus cum populi Romani felicitate coniunctam.

Quod idem longe ante eum vidit Polybius, qui eorum, quae publice instituta essent Romae, rationes optime cognorat et praestantiam. Iam enim et isti *δαιμονία* contineri Romana respublica videbatur, eaque de causa et in vitam privatam et communem inducta \*\*\*).

Idem scriptor celeberrimus non casu dicit orbis imperium accepisse et obtinuisse Romanos sed virtute, ad quam enixe juventus sit incitata, ut in viros evaderet, omnia paratos perpeti, dummodo praeclarum in patria nomen consequerentur. Quod ut probatum eat multus est in describendis *honoribus*, quibus *virorum*,

\*) de legibus II, c. 12.

\*\*) ibid. l. II.

\*\*\*) Polyb. VI, 54. Tota haec materia hucusque haud satis luculenter explicata esse videtur. Distinguendae sunt et variarum populi Romani aetatum diversitates. Lucem uberiores expectant antiquitatum amantes argumento subobscuro allatum iri a *Ruhnkenianarum* lectionum academicarum editore V. cl. *Eichstadio*, qui de haruspicina id certe evicit, solos Tuscos, non vero Romanos, dum respublica libera erat, Romae haruspicinam exercuisse et haruspicum nomine esse gavisos. v. *Ephem. liter. Jenens.* 1823, N. 207.

qui *de vita migravissent*, illustrium fama *grata recordatione* fuerit renovata, quibusque laudibus in foro pro rostris sint elati, ut communis videatur luctus ille fuisse, quo juvenes ad quaevis inflammarentur ferenda, quibus eam tandem gloriam adipiscerentur, quae bonos solet comitari \*). Quod et Athenis inde a Solonis temporibus aliisque in Graeciae civitatibus, usu ac more receptum fuisse, vel plura *λόγων ἐπιταφίων* testantur exempla, quibus plerumque simul omnium, qui omnibus rebus praecellentissimi fuissent, virorum memoria recoleretur \*\*).

Nimirum non leges patriae tantum, sed civium quoque, quos eadem genuisset praeclarissimos et educavisset, gloriam clarescere adolescentulis animisque insinuari veteres voluerunt. Quid enim tenellas mentes, quae ad optima quaeque paterent et sanctissima, magis incitare potuit et incendere, quam sola Cimonis, Periclis, Epaminondae, Phocionis, Philopoemenisque nomina, quam Curtii, Fabricii, Catonum, Scipionum, Scaevolarumque res gestae et virtutes aeternae, qui ad unum omnes non bellicae modo laudis, sed, cujus conjunctio raris in rebus esse solet, etiam fortitudinis civilis exemplo praeiverunt. Neque vero ad Thermopylas unice locus est Leonidae, neque Curtius quisque aperta duntaxat flammaram voragine necesse est submergatur. Propter rogos commendata est juventuti animi praesentia illa et constantia, quae, ut vera matre, nascitur libertate et nutritur, quaeque, quidquid homine ingenuo est indignum, contemnere, despiciere, pro nihilo putare valeat. Exsplenduit e fumo et flammis veri illa et honesti et decori dignitas, quavis turpitudine, qua humilis adulatorum et assentatorum turba inquinatur, major et augustior. Praefulsit lux illa humanitatis, quae ducem secuta naturam, ab amoris amicitiaeque dulcedine haud aliena, — neque enim tum falsa et misera de tali sensu, civitatis habenas accipienti reprimendo, obtinuerat opinio, — et vitam optimorum domesticam gaudiis bearet sinceris. Quid multa? Juvenum auribus pectoribusque quovis pacto et quavis occasione praeclara illa atque verissima insinuata est sententia: ut gubernatori cursum secundum, medico salutem, imperatori victoriam; sic reipublicae moderatori beatam civium vitam unice propositam esse debere.

Nihilominus uno quodam nomine, eodemque magno, manca fuit nostraeque aetati longe inferior antiquitatis conditio, quippe quae universitatibus literarum careret. Etenim cum faciliori literarum decursu viarumque compendiis nostrorum gymnasiorum civibus et academiarum ad optatam metam tendere liceat; veteres

\*) Polyb. VI, 51 sq.

\*\*\*) cf. et *Thucyd.* II, 34, imprimis 42, 43 etc. Ἄνδρῶν γὰρ ἐπιφανῶν πᾶσα γῆ τάφος etc. *Lysiae*, ἐπιτάφιος τοῖς Κορινθίων βοηθοῖς.

eam saepe non nisi victis difficultatibus sat multis amplecti potuerunt. Quibus enim artibus effectum est olim, ut usui civitati esse optimi possent; earum plurimarum copia fortunae gratia magis, quam institutione certove disciplinae cursu est facta. Quodsi in nostris Musarum sedibus severa literarum bonarum habitent studia, quae humanitatis sensu alantur ac caritate patriae: sane est, quod nobis, quod adolescentiae nostrae, quod Germaniae de palma illa gratulemur, quam ei neque ullum antiquitatis certamen praeripere poterit. Neque vero periculum est, ne incommodis erroribusque, quibus ibi effervescentium animos falli interdum et decipi videmus, mentis in dies maturescentis consideratio, auctoritas legum et gravitas, patriaque eorum, qui juvenum saluti consulunt et praesunt, cura non facile mederi possit. Floreant igitur illa verae doctrinae et artium liberalium honestaeque libertatis domicilia, quae adolescentiam alunt praeclare et ornant civitates, quorum sola recordatione virorum optimorum et senum animi oblectantur: pereatque istorum paucorum contemnenda temeritas atque socordia, quae turbare coeperunt illorum quietem et incolumitatem, quaeque, ut Apellis sutor ultra crepidam esse velint.

Aliud denique discrimen inter antiquitatis statum aevique recentioris est interjectum, religionis illius divinae, quae, ut in quavis vitae ratione non suis ipsius quisque, sed proximorum quoque commodis prospiciat, quaeque ab aliis expectet, ea ipsa iis ipsis quoque debeat praestare, praecipit. Quibus praeceptis et similibus in qua civitate juveniles mentes diligentius fuerint impertitae; eius conditio sane, si non fortunata semper, nunquam tamen admodum misera erit putanda. Sed longe absona saepe nobis populorum imprimis, apud quos ecclesia viget, extra quam non datur salus, historia annunciavit. Ibi enim saepissime, qui res publicas gubernarunt, haud raro sacerdotum dolis impulsus et malignitate, ad patranda pessima quaevis religionis sanctissimae praetexta sunt abusi.

Tantum religio potuit suadere malorum! Laetiores vero eadem historia nuntios de populis tulit, quibus a superstitionis et sacerdotii dominatione res sacrae in libertatem sunt vindicatae, inviolata evangelii auctoritate. Cuius rei testes Britanniae magnae, Hollandiae, Sueciae, Daniae Borussiaeque annales esse possunt, quae omnes quavis virtute civili singulares viros genuerunt, qui intemerata et praeclara mente summae rerum praeesent. Quoad, igitur clarus ille sol et purus de rationis Θεοπνεύστου sacrarumque literarum caelo splendet, etiam, qui libero ingenio, sapientia atque pietate decori res publicas moderentur, nullo tempore desiderabuntur.



## Schul-Nachrichten.

### Allgemeine Lehrverfassung des Gymnasiums.

Die in der letzten Einladungs-Schrift angezeigte Lehrverfassung des hiesigen Königl. Gymnasiums ist während des jetzt beendigten Schuljahres größtentheils dieselbe geblieben, und die Uebersicht der unterdessen darin vorgetragenen Lehrgegenstände folgende:

#### *Prima.*

Ordinarius: der Vorsteher des Gymnasiums.

1. Deutsch. 4 St. w. (verbunden mit Sekunda.) Allgemeine angewandte Sprachlehre nach Reinbeck, deutsche Literaturgeschichte des mittleren Zeitalters, prosaische Aufsätze, metrische und poetische Versuche, Deklamirübungen. Herr Konrektor Pudor.

2. Latein. 9 St. Stylübung, Verbesserung der Aufsätze und Sprechübung 2 St. Ungefug; Cic. de orat. II, 7—37. 2 St. Derselbe. Vellejus. Paterculus. II, 61—97, 2 St. Herr Reg. Ass. und Pror. Fischer. Taciti Annal. L. II. mit Auswahl 1 St. Ungefug. Horatii. Sat. I. Schlufs. und II. Einleit. in die lyrischen Versmaasse der Römer, und Carm. IV. mit Auswahl, 2 St. Herr Konrekt. Pudor.

3. Griechisch. 9 St. Stylübung nach Vömel und ausgewählte Abschnitte aus griechischen Geschichtschreibern, 1 St. Herr Konrekt. Pudor; Thucyd. I, 101 bis zu Ende. 2 St. Derselbe; Demosth. Olynth. III (I) und de pace 2 St. Ungefug; Homer. II, XIII, 601 — XV 221. 2 St. (verbunden mit Sekunda) Herr Reg. Ass. Fischer. Sophoclis Electra v. 251 — 1231. 2 St. Derselbe.

4. Hebräisch. 2 St. Uebersetzung ausgewählter prosaischer und poetischer Stücke des A. T. verbunden mit Uebersetzungs-Versuchen aus dem Deutschen ins Hebräische, mit Hinweisung auf die Grammatik von Gesenius. 2 St. Ungefug.

5. Mathematik 4 St. Analyt. Geometrie. Herr Oberlehrer Härtell.

6. Naturwissenschaft (verbunden mit Sekunda), 2 St. die zur Physik vorbereitenden Lehren der Mathematik, Derselbe.\*)

7. Geschichte 2 St. (verbunden mit Sekunda) mittlere Geschichte ganz, und von der neuern Geschichte die Geschichte der Entdeckung von Amerika, und des Zeitalters Karls V. namentlich der Reformation in Deutschland bis 1542. Hr. Reg. Ass. Fischer.

8. Religion, 2 St. (verbunden mit Sekunda und den confirmirten Zöglingen aus Tertia) Beendigung der Sittenlehre, allgemeine und ein Theil der speciellen Einleitung in die biblischen Schriften des A. T. nach Niemeyer — § 86. Ungefug.

9. Zeichnen, 2 St. Herr Staberow.

### *Sekunda.*

Ordinarius: Herr Regierungs-Assessor Fischer.

1. Deutsch, 4 St. (verbunden mit Prima) S. Prima. Herr Konrektor Pudor.

2. Latein, 8 St. Wiederholung der Grammatik nach Grotefend, Uebersetzung ins Lateinische aus Döring's Anleitung 3r und 4r Curs. §. 74 — 86. viele freye Aufsätze und ihre Korrektur, 2 St. Ungefug; ausgewählte Briefe des Cicero, 2 St. Hr. Dr. Lehrs, und nach dessen Abgange Herr Ottermann; Livius XXIV, 44 — XXV, 20. 2 St. Hr. Reg. Ass. Fischer. Virgillii Aen. I, 137 — II, 485, Derselbe.

\*) Diese Lehrgegenstände haben jedoch wegen der langwierigen Krankheit des Lehrers, so wie seine übrigen Lehrstunden in denselben Gegenständen von andern Lehrern, so viel als möglich, besetzt werden müssen.

3) Griechisch, 6 St. Grammatik und Stylübung 2 St. Herr Dr. Lehrs, und seit dessen Abgange Herr Reg. Ass. Fischer; Xenoph. Anabasis. IV. 2 — V, 4. Derselbe; Homeri Ilias 2 St. (verbunden mit Prima) XIII, 601 — XV, 142. S. Prima. Derselbe.

4. Hebräisch, 2 St. Leseübung, Wörterkenntniss und Einübung der Grammatik nach Gesenius. Ungefug.

5. Mathematik, 4 St. Stereometrie. Herr Oberlehrer Härtell.

6. Naturwissenschaft, 2 St. (verbunden mit Prima) Derselbe.

7. Geschichte, 2 St. (verbunden mit Prima) S. Prima. Herr Reg. Ass. Fischer.

8. Geographie, 2 St. (verbunden mit Tertia,) Uebersicht aller Erdtheile, und specieller Europa. Herr Dr. Grunert.

9. Religion, 2 St. (verbunden mit Prima.) S. Prima. Ungefug.

10. Zeichnen, 2 St. (verbunden mit Tertia.) Herr Staberow.

*Tertia.*

Ordinarius: Herr Konrektor Pudor.

1. Deutsch, 4 St. Grammatik nach Heyse. Uebung im schriftlichen und mündlichen freien Vortrage, und Deklamiren nebst metrischen Versuchen. Herr Konrektor Pudor.

2. Latein, 8 St. Grammatik nach Bröder und Stylübung 2 St. Herr Dr. Lehrs, und nach dessen Abgange Herr Ottermann; Döring's Lesebuch 2r Curs. Regnum Medor. et Persar. 1 — 24, regnum Macedon. 4 — 21. 2 St. Herr Dr. Grunert; Curtius VII — X. 2 St. Herr Dr. Seidel; Ovidii, Metam, nach Seidels Auswahl Lib. XIV. und XV. nebst Anleitung zur Kenntniss des lateinischen Hexameters 2 St. Herr Konrektor Pudor.

3. Griechisch, 6 St. Grammatik nach Buttman nebst Uebertragung kleiner deutscher Sätze ins Griechische 2 St. Herr Dr. Lehrs und nach seinem Abgange Herr Ottermann; Jacobs Lesebuch 2r Cursus S. 203 — 220. 2 St. Die-

selben; Hom. Odys. XI — XII. mit vollständiger Analyse und Anleitung zur Kenntniss der Dialekte. 2 St. Herr Konrektor Pudor.

4. Hebräisch, 2 St. Anfangsgründe der Grammatik nach Gesenius, nebst Leseübung und Wörterkenntniss. Ungefüg.

5. Mathematik, 4 St. Höhere Arithmetik und Planimetrie. Herr Oberlehrer Härtell.

6. Naturwissenschaft, 2 St. Anfangsgründe der Physik. Herr Oberlehrer Härtell.

7. Geschichte, 2 St. Griechische Geschichte bis 146 vor Christ.; Römische Geschichte bis 218 vor Christ. Herr Dr. Grunert.

8. Geographie, 2 St. S. Tertia. Derselbe.

9. Religion, 2 St. (verbunden mit Quarta,) nach Schulze's Hauptlehren des Christenthums, die vierte und fünfte Hauptlehre und zum Schluss des ganzen Kursus die Lehre von den Sakramenten der christlichen Kirche. Herr Reg. Ass. Fischer.

10. Zeichnen, 2 St. (verbunden mit Sekunda.) Herr Staberow.

11. Schönschreiben, 2 St. Herr Lehnstädt.

### *Quarta.*

Ordinarius: Herr Dr. Grunert.

1. Deutsch, 4 St. Grammatik nach Heyse, mündliche und schriftliche Uebungen und Anleitung zum Deklamiren. Herr Dr. Grunert.

2. Latein, 7 St. Grammatik nach Bröder 2 St. Herr Dr. Seidel; mündliche und schriftliche Uebersetzung aus dem Deutschen ins Lateinische, 2 St., Derselbe; Döring's Lesebuch 2r Cursus, res Atheniensium und Macedonum imperium mit Auswahl, 2 St. Herr Dr. Grunert; Phädrus in ausgewählten Fabeln, nebst Erläuterung der Prosodie. 1 St. Herr Dr. Lehrs und nachher Herr Ottermann.

3. Griechisch, 4 St. Grammatik nach Buttmanns Schulgrammatik, Etymologie 2. Cursus. 2 St. Herr Konrektor Pudor; Jacobs Elementarbuch 1r Cursus S. 1—53. 2 St. Herr Dr. Seidel.

4. Mathematik, 4 St. Anfangsgründe der Algebra und Planimetrie 2 St. Herr Oberlehrer Härtell; praktisches Rechnen 2 St. Herr Lehnstädt.

5. Naturwissenschaft, 2 St. Zoologie 1 St. Herr Dr. Lehrs; Botanik 1 St. Herr Lehnstädt.

6. Geschichte, 2 St. Preussische Geschichte bis 1815, und deutsche Geschichte bis 1806. Herr Dr. Grunert.

7. Geographie, 2 St. Allgemeine Uebersicht aller Erdtheile, und specieller Europa. Derselbe.

8. Religion, 2 St. (verbunden mit Tertia,) Herr Reg. Ass. Fischer, S. Tertia.

9. Zeichnen, 2 St. Herr Staberow.

10. Schönschreiben, 2 St. Herr Lehnstädt.

### *Quinta.*

Ordinarius: Herr Dr. Lehrs, und nach dessen Abgange Herr Ottermann.

1. Deutsch, 6 St. Grammatik nach Herzog, schriftliche Uebungen und Deklamiren, 5 St. Herr Dr. Lehrs und späterhin Herr Ottermann; orthograph. u. a. Uebungen 1 St. Herr Reg. Ass. Fischer.

2. Latein, 6 St. Grammatik nach Bröder; Etymologie 2 St. Herr Dr. Lehrs, und nachher Herr Ottermann; Syntax nebst Uebertragung leichter Sätze ins Lateinische 2 St. Dieselben; Dörings Lesebuch 1 Kursus S. 1—120.

3. Mathematik. 4 St. Anfangsgründe der Arithmetik und Geometrie 2 St. Herr Oberlehrer Härtell; Kopf- und Tafelrechnen 2 St. Herr Lehnstädt.

4. Naturwissenschaft, 2 St. Zoologie und Botanik. Ungefug.

5. Geschichte, 2 St. Allgemeine Geschichte bis 1815. Herr Dr. Grunert.

6. Geographie, 2 St. Die fünf Erdtheile nach Gaspari 11 Curs. Ungefug.

7. Religion, 2 St. christliche Glaubens- und Sittenlehre. Derselbe.

8. Zeichnen, 4 St. Herr Staberow.

9. Schönschreiben, 3 St. Herr Lehnstädt.

*Sexta.*

Ordinarius: Herr Dr. Seidel.

1. Deutsch, 7 St. Einleitung in die Grammatik 1 St. Herr Konrektor Pudar; ausdrucksvolles Lesen 1 St. Herr Dr. Seidel, Orthographie 3 St. Derselbe; Grammatik nach Herzog und Deklamiren 2 St. Herr Dr. Lehms und späterhin Herr Ottermann.

2. Latein, 6 St. Vokabelkenntnis und Etymologie 3 St. Herr Dr. Seidel, Uebersetzung aus Krebs Lesebuche S. 9—114. 3 St. Derselbe.

3. Mathematik, 4 St. Erste Vorbegriffe der Arithmetik und Geometrie 2 St. Herr Oberlehrer Härtell; Kopf- und Tafelrechnen 2 St. Herr Lehnstädt.

4. Naturwissenschaft, 2 St. Botanik und Zoologie. Ungefug.

5. Geschichte, 2 St. Allgemeine Geschichte bis 1815. Herr Dr. Grunert.

6. Geographie, 2 St. Die fünf Erdtheile nach Gaspari 1r. Cursus. Herr Dr. Seidel.

7. Religion, 2 St. Erweckung des Sinns für moralische und religiöse Wahrheiten nach Salzmann. Herr Reg. Ass. Fischer.

8. Zeichnen, 3 St. Herr Staberow.

9. Schönschreiben, 3 St. Herr Lehnstädt.

Auch der Privatfleiß der Zöglinge, besonders in den höhern Klassen, ist, wie bisher immer, von Seiten der Lehrer berücksichtigt und angeregt, und es sind von den Zöglingen ausser dem Gymnasium gelesen worden

*I n P r i m a :*

Die im Gymnasium nicht erklärten Bücher von Hom. Ilias, Euripides Iphigenia in Aul., Cic. pro lege Manil. und Disput. Tusc. L. I.

*I n S e k u n d a :*

Die im Gymnasium nicht erklärten Bücher von Xenoph. Anabas. die sechs ersten Bücher von Hom. Odyss, Cic. pro Archia und pro M. Coelio, auch Virgilii Eclogen.

## In Tertia:

Jacobs griechisches Elementarbuch 2r Cursus, Anekdoten von Staatsmännern und Königen 63 — 89. auch ins Lateinische übersetzt, und Anhang einiger Briefe 1 — 6; mehrere Lebensbeschreibungen des Nepos und Caesar de bello Gallico L. I.

## Höhere Verordnungen.

Von E. Königl. Konsistorium ward unter dem 3. November 1824 auf Veranlassung des hohen Königl. Ministeriums den Gymnasien Zumpts lateinische Grammatik empfohlen; am 18. Januar d. J. die von dem Königl. Ministerium genehmigte Instruktion für die Direktoren der Gymnasien in Westpreussen gegeben; am 21. März verordnet, dass die Zöglinge der Gymnasien nur in seltenen und ausserordentlichen Fällen, durch das Königl. Konsistorium von Erlernung der griechischen Sprache entbunden werden können; am 6. April, dass unter den sämtlichen Gymnasien der preussischen Monarchie ein Programmenwechsel statt finde; am 7. April, dass Menzels Geschichte unsrer Zeit seit dem Tode Friedr. II. von den Gymnasien angeschafft werden soll; am 22. Mai, dass auf Veranlassung E. Königl. Ministeriums die Privatlektüre der Zöglinge in den drei obern Klassen auf eine ähnliche Weise wie im Gymnasium zu Danzig einzurichten sei; dass bei Anschaffung von Büchern für die Schülerbibliothek eine sorgfältige Auswahl getroffen werde, und die Zöglinge bei der Benutzung derselben planmässig verfahren; dass bei festlichen Veranlassungen auf Gymnasien keine öffentliche Aufzüge mit Musik und Fackeln statt finden dürfen; am 9. Juni ward bekannt gemacht, dass die Königl. wissenschaftlichen Prüfungskommissionen nur Zöglinge der ersten Klasse der Gymnasien zur Prüfung für die Universität zuzulassen angewiesen sind; am 29. Juni, dass den studirenden Jünglingen der Besuch der Universität Jena wieder gestattet sei; am 7. Juli, dass auf den Gymnasien von dazu geeigneten Lehrern die Anfangsgründe der Logik und empirischen Psychologie gelehrt werden können; am 9. August, unter welchen Bedingungen allein die medicinische Doktorwürde zu erlangen sei, mit Hinweisung auf das Amtsblatt.

## Chronik des Gymnasiums.

Am 1. November des vorigen Jahres hat das neue Schuljahr seinen Anfang genommen. — Zu Anfange des Decembers ist der Ephorus des Gymnasiums, Herr Regierungs-Rath Schröer nach einer mehrjährigen Krankheit mit Tode abgegangen. Seine vielfachen Verdienste um das Schulwesen von Westpreussen und um das hiesige Gymnasium, so wie sein achtungswerther Charakter, werden Lehrern und Zöglingen stets unvergesslich bleiben. Ruhe und Friede seiner Asche! — Der für das wichtige Lehrfach der Mathematik und Physik am Gymnasium angestellte Oberlehrer Herr Härtell ist von seiner langwierigen Krankheit zu grossem Nachtheil des Gymnasiums leider! noch immer nicht genesen, und angelegentlich zu wünschen, dafs er zum Besten desselben baldigst wieder hergestellt werde, oder, wenn seine Krankheit noch fortdauern sollte, den mehrmals nachgesuchten Stellvertreter erhalte. Unterdessen hat der Vorsteher des Gymnasiums, nebst den Herren Staberow und Lehnstädt, so viel als es sich thun liefs, seine Stelle zu vertreten gesucht. — Am 28. März d. J. ist das Privat-Examen im Gymnasium gehalten worden. — Herr Dr. Lehrs hat einen vortheilhaften Ruf an das Friedrichs-Kollegium zu Königsberg in Preussen angenommen und ist, von den Glückwünschen seiner Mitarbeiter und Zöglinge begleitet, am Ende des Juli d. J. dahin abgegangen. Seine Lehrstelle am hiesigen Gymnasium hat Herr Johann Karl Adolph Ottermann aus Halle, erhalten, und am 12. September angetreten, dessen Anstellung dem Gymnasium vielen Nutzen verspricht.

## Statistische Uebersicht des Gymnasiums.

Das Gymnasium zählt jetzt 152 Zöglinge, und zwar 6 in Prima, 11 in Sekunda, 21 in Tertia, 31 in Quarta, 45 in Quinta, und 38 in Sexta. Aufgenommen sind während des beendigten Schuljahres 30, und 25 zu verschiedenen Bestimmungen abgegangen.

Als Zeichen völliger Zufriedenheit ihrer Lehrer haben bei der vorigen öffentli-



chen Prüfung folgende Zöglinge Preise in nützlichen Büchern oder ein öffentliches Anerkennniß des unbedingten Beifalls erhalten:

Aus Prima: *Richard Friedrich Neumann.*

Aus Tertia: *Karl August Friedrich Wolf,*  
und *Georg Wilhelm Alexander Wechsler.*

Aus Quarta: *Heinrich Wilhelm Ernst Willmann,*  
und *Doron Bohlius.*

Von E. hohen Königl. Ministerium der Unterrichtsangelegenheiten ist dem Gymnasium ein Exemplar des geographischen Atlases von Rühle v. Lilienstern geschenkt, wofür demselben ehrerbietigst Dank gesagt wird. Gekauft sind für die Bibliothek des Gymnasiums: Thucydides ex edit. E. F. Poppo. 3 Voll. — Euripidis Phoenissae, ed. L. C. Valckenaer 2 Voll. — Euripidis Hippolytus ed. Valckenaer. Gnomici ex ed. Brunckii. Theodori Metochitae Miscellanea ed. C. G. Müller. — Aristotelis Ethicorum Nicomacheorum Libri X. ed. C. Zell. 2 Voll. — Plutarchus de physieis philosophorum decretis ed. C. D. Beck. — Schweighäuseri Lexicon Herodoteum. — Isocrates ed. Orelli — Aristoteles de arte poetica ed. Gräfenhan. — Catulli elegia ad Manlium ed. van Santen. — Manilius ex ed. Scaligeri. — Ciceronis orat. pro Plancio ed. Orelli. — Pomponius Mela ex ed. Gronovii 2 Voll. — Panegyrici veteres ex ed. Jägeri 2 Voll. — Maittaire graecae linguae dialecti ed. Sturz. — Meineke de Euphorione. — Kannegiesser die tragische Bühne Athens. — Bentleji et doctorum Virorum epistolae ed. Friedemann. — Struve über die lat. Declinationen und Conjugationen. — Herders Werke zur Geschichte und Philosophie 12 Theile. — Sommers Gemälde der physischen Welt 5 Bände. — Blumenbachs Naturgeschichte 5te Aufl. — Schubarth zur Beurtheilung Göthe's 3 Bde. — Eckermann Beiträge zur Poesie mit bes. Hinweisung auf Göthe. — Gleim's und Bürger's Werke. — Gedichte der beiden Grafen von Stollberg. u. s. w. — Für den 1803 gestifteten Lesezirkel der Zöglinge aber; v. Salis Gedichte; Wilmsens Heldengemälde Roms etc. Niemeyers Heldenbuch; Iken's Hellenion; Krummachers Parabeln;

Fr. Meisners Reisen in die Schweiz u. s. w. — Die hiesige geehrte Cassinogeseellschaft hat dem Gymnasium 77 Rthlr. 2 Sgr. 2 Pf. zur Vertheilung unter dürftige auswärtige Zöglinge geschenkt, und gerechte Ansprüche auf die Dankbarkeit derselben. Möchte ihr schönes Beispiel doch für hoffnungsvolle aber dürftige Zöglinge mehrere Wohlthäter erwecken!

Der Primaner *Richard Friedrich Neumann* aus Marienwerder, 18 Jahr alt, 7 Jahr und 5 Monate hindurch im Gymnasium, und 2 Jahr in der ersten Klasse desselben, hat bei der ehrenvoll bestandenen Prüfung das Zeugniß seiner Tüchtigkeit zur Universität mit Nro. II. erhalten, und geht jetzt nach Königsberg ab, um dort die Rechte zu studiren.

Donnerstag den 13. October d. J. wird Vor- und Nachmittags die öffentliche Prüfung, und Freitags den 14. Nachmittags die Redeübung der Gymnasiasten stattfinden, wozu ich alle Beschützer des Gymnasiums und alle Freunde des Schul- und Erziehungswesens hiemit ehrerbietigst und ergebenst einlade.

---

Mit dem 31. October beginnt der neue Lehrcursus. Zur Prüfung neuer Zöglinge ist der 28, und 29. October bestimmt.

---

# Prüfung der Zöglinge

Donnerstag den 13. October 1825,

Vormittags von 9 Uhr.

## H y m n e.

- 1) Die fünfte Klasse. Religion. Ungefug.
- 2) Die vierte Klasse. Algebra. Herr Staberow.
- 3) Die sechste Klasse. Krebs latein. Lesebuch. Herr Dr. Seidel.
- 4) Die dritte Klasse. Ovid. Metam. Herr Konrektor Pudor.
- 5) Die vierte Klasse. Phädrus. Herr Ottermann.
- 6) Die fünfte Klasse. Dörings latein. Lesebuch 1r. Cours. Herr Dr. Seidel.
- 7) Die vierte Klasse. Geschichte. Herr Dr. Grunert.
- 8) Die sechste Klasse. Rechnen. Herr Lehnstädt.
- 9) Die erste Klasse. Tacitus. Ungefug.

Nachmittags von 2 Uhr.

## H y m n e.

- 1) Die fünfte Klasse. Rechnen. Herr Lehnstädt
- 2) Die erste und zweite Klasse. Homeri Ilias. Herr Reg. Ass. Fischer.
- 3) Die zweite und dritte Klasse. Geographie. Herr Dr. Grunert.
- 4) Die dritte Klasse. Jacobs griechisches Leseb. 2r. Cours. Herr Ottermann.
- 5) Die erste und zweite Klasse. Geschichte. Herr Reg. Ass. Fischer.
- 6) Die erste Klasse. Horatius. Herr Konrektor Pudor.

Vertheilung der Prämien.

Der Abiturient *Richard Friedrich Neumann* hält eine deutsche Rede über den Segen einer wohl angewandten Schuljugend, und nimmt zugleich von dem Gymnasium öffentlich Abschied.

Der Primaner *Jacob Liedtke* wünscht demselben im Namen der übrigen Gymnasiasten Glück.

Als dann werde ich selbst den Abiturienten durch eine kurze Anrede aus dem Gymnasium öffentlich entlassen.

Eine Hymne als Nachruf an denselben schließt die Feierlichkeit.

# Redeübung der Zöglinge

Freitags den 14. October 1825,

Nachmittags von 2 Uhr.

## M u s i k.

- Der Sextaner *Denzer*: die Schwalben.  
Der Sextaner *Wigandt*: der Iltis und der Fuchs.  
Der Quartaner *Heinrichs*: der Eselsweg.  
Der Quintaner *Bethe*: Oben und unten, von Pfeffel.  
Der Quintaner *Genzmer*: der Prozess, von Gellert.  
Der Quartaner *Ungefug*: der Vielgereiste.  
Der Quintaner *Dechend*: die jüdischen Rekruten.

## M u s i k.

- Der Quintaner *Wahl*: der Dom zu Halberstadt, von Jördens.  
Der Sextaner *Rudolph v. Grotthufs*: der Buchfink und der Hänfling.  
Der Sextaner *Tarnogrocki*: der Lügner.  
Der Quartaner *v. Schrötter*: der richtige Geschmack.  
Der Quintaner *Drawe*: der sterbende Vater, von Gellerr.  
Der Sextaner *August Flindt*: der betrübtte Wittwer.  
Der Sextaner *Röckner*: die Vorsicht.  
Der Quartaner *Kruska*: ein Gebet.

## M u s i k.

- Der Sextaner *Brussatis*: der gütige Besuch.  
Der Quintaner *Schöler*: Wilhelm Tell, von Lavater.  
Der Sextaner *Friedrich Woth*: der Wucherer.  
Der Sextaner *Braun*: Penn und der Britte.  
Der Quartaner *Cramer*: der edelmüthige Entschluss.  
Der Sextaner *v. Schrötter*: der Tiger, Leopard und Löwe.  
Die Tertianer *Jamm* und *Holz* ein Fragment aus Shakespear's Hamlet: die Todtengräber.  
Der Quartaner *Conrad*: Aesop.  
Der Quintaner *Wegner*: das Schiff, von Pfeffel.

## M u s i k.

- Der Tertianer *Reichenau*: Wächterruf in alemannischer Mundart.  
Der Quartaner *Schwanke*: die Worte des Wahns, von Schiller.  
Der Quartaner *Raabe*: auf Theodor Körner.

- Der Sextaner *Senger*: der Laubfrosch und die Nachtigall.  
 Der Quartaner *Otto Lemke*: Wehrmanns Eid  
 Der Quartaner *Czudnochowski*: die Theilung der Erde.  
 Der Sekundaner *Olszewski*: die Gestirne, eine Ode von Klopstock.  
 Der Tertianer *Luchterhand*: die Osterpredigt, poetische Erzählung von Langbein.  
 Der Tertianer *Bohlius*: die Hochmeisterwahl Winrichs von Kniprode, aus der St. Marienburg.  
 Der Sekundaner *Wechsler*: die Orgel, eine Legende von Herder.

*M u s i k.*

- Der Sekundaner *Gedies*: an Luthers Bildsäule, eine Elegie von Meinhold.  
 Der Tertianer *Lievin*: Bruchstück aus Reineke Fuchs.  
 Der Sekundaner *Hermann Woth*: ein Griechenlied: Bozarris Grab.  
 Der Sekundaner v. *Tettau*: Bramarbas, eine satyrische Erzählung v. Langbein.  
 Der Tertianer *Wagner*: Curtius, eine poetische Erzählung von Mächler.  
 Der Tertianer *Wollenschläger*: eine poetische Erzählung: das Weingericht v. Langbein.  
 Der Tertianer *Bluhm*: Vaterlandsliebe von Vofs.  
 Der Primaner *Grabe*,  
 und die Sekundaner *Hartwich*,  
                           *Kossina*,  
                           *Ferd. Woth*  
 und *Joseph*, } deklamiren im Chor: ein Gedicht auf die Leipziger Schlacht.

*M u s i k.*

- Der Primaner *Liedtke* zeigt in einer selbstbearbeiteten lateinischen Rede: was den studirenden Jüngling für das Griechische und Römische Alterthum begeistern soll.  
 Der Tertianer *Karl Rothe*: das Mißverständniß, eine poetische Erzählung.  
 Der Tertianer *Schesmer*: Rudolph von Habsburg, eine poetische Erzählung v. Schiller.  
 Die Primaner *Kelch* (Egmont)  
 und *Reichenau* (Ferdinand, Alba's Sohn): ein Fragment aus Göthe's Egmont.

